PA 2331
.A4
Copy 1

2331
4
py 1

EMMANUELIS ALVARI
E SOCIETATE JESU

PROSODIA
SIVE
INSTITUTIONUM
LINGUÆ LATINÆ

LIBER QUARTUS.

In usum Studiosorum Societatis Jesu.

PERMISSU SUPERIORUM.

446
ALVAREZ
SP
11051 P

GEORGIOPOLI, D. C.
TYPIS SAMUELIS S. RIND.
1831.

PA 2331
.A4

G.1874
'01

THE LIBRARY
OF CONGRESS

PROŒMIUM

DE LITTERIS AC SYLLABIS.

PROSODIA est, quæ ex syllabarum accentu & quantitate, rectam vocum pronuntiationem docet. Sic dicta a προς id est *ad*; & ωδη *cantus*.

Syllabæ fiunt vel ex una, vel ex pluribus litteris; ut I, *et runt*.

Litteræ partim sunt vocales, partim consonantes.

Vocales sunt, A, E, I, O, U, Y, Ex vocalibus fiunt sex diphthongi Æ, AU, EI, EU, OE, YI; ut *præmium*, *aurum*, *hei*, *Europa*, *pœnu*, *Harpyia*. Consonantes in mutas & semivocales dividuntur.

Mutæ sunt octo, B, C, D, G, K, P, Q, T.

Semivocales itidem octo, F, L, M, N, R, S, X, Z.

Ex quibus quatuor sunt liquidæ, L, M, N, R. F, præposita liquidis L & R, vim habet mutæ.

Duæ, X & Z, sunt duplices, hoc est, valent duas consonantes; X, cs; Z, ds.

H, Sitne littera, an adspirationis nota, dubium controversumque est.

I, Inter duas vocales posita, consonans est atque duplex I valet; ut *Major*, *pejor*. Veteres I geminabant, *Maijor*, *aijo*. *Maija*.

I & V cum vocalibus præponuntur; easque comprimunt, fiunt consonantes; ut *janua*, *jecur*, *conjicio*, *jocus*, *judex*: *Vates*, *velox*, *vita*, *vox*, *vultus*.

Jota Græcorum numquam est consonans: quare

in *Iason*, *Iambus*, *Iaspis*, & cæteris, quæ plane sunt Græca, prima vocalis est.

Jod apud Hebræos semper consonans est, cum vocalibus præponitur; ut *Jesus*, *Joannes*, *Jacobus:* itaque qui hæc atque alia ejusdem generis nomina, per J consonantem efferunt, optime quidem pronuntiant; qui vero per vocalem, Græcos imitantur.

V post Q litteram semper liquescit, ut *Aqua*, *concoquo*; at post G & S modo liquescit, ut *Lingua*, *anguis*, *suadeo*, *suavis*, modo integra est suamque vim retinet, ut *Exiguus*, *suus*.

Literæ liquescunt, cum vim roburque vocalis aut consonantis amittunt.

Syllabæ partim breves, partim longæ, partim communes.

SYLLABÆ, quas temporibus metimur, aut sunt breves, aut longæ, aut communes.

Tempus est spatium intervallumque, quo syllaba pronuntiatur. Syllaba brevis ex uno tempore atque spatio constat, ut *concido*; longa, ex duobus; ut *concido*. Communis est quæ in versu tum brevis, tum longa esse potest, quales sunt priores in *Atlas*, *Cyclops*; mediæ in *tenebræ*, *pharetra*.

Nulla vocalis apud Latinos perpetuo brevis aut longa est. Apud Græcos ε et ο, quæ e et o breve valent, perpetuo sunt breves, η & ω, quæ e & o longum valent, semper sunt longæ, ut mediæ syllabæ in *Eremus*, *Idolum*.

CAPUT I.

Præcepta Universalia de Syllabarum brevitate ac longitudine.

I. De vocali ante vocalem.

Vocalem breviant, alia subeunte, Latini,
Produc, ni sequitur R, Fio, et nomina Quintæ,
Quæ geminos casus E longo assumit in *Ei*.
Verum E corripiunt *Fidei*que, *spei*que, *Reique*,
Ius commune est Vati; producito *Alius*,
Alterius brevia; *Pompei* et cætera produc.
Protrahiturque *Eheu*; *sed Io* variatur et *Ohe*.
Nomina Græcorum certa sine lege vagantur;
Quædam etenim longis, ceu *Dia*, *Chorea*, *Platea*;
Quædam etiam brevibus, veluti *Symphonia*, gaudent.

VOCALIS ante vocalem in Latinis dictionibus brevis est; ut *Puer*, *fuit*, *ruit*.

VIRG. Disce puer virtutem ex me, verumque laborem.

EXCEPTIO I.

Fio I habet longum, nisi sequatur R; ut *Fiebam*, *fiam*.

JUVEN. Fient ista palam, cupient et in acta referri.

Si R sequatur, breve est; ut *Fierem*, *fieri*, *confieri*.

VIRG. Confieri possit, paucis, adverte, docebo.

EXCEPTIO II.

Interrogandi ac dandi casus quintæ declinationis E ante I producunt; *Diei*, *speciei*; præter *Rei*, *spei*, *fidei*.

HORAT. Ventum erat ad Vestæ, quarta jam parte diei.

EXCEPTIO III.

Genitivus in IUS habet I longum in soluta oratione; in carmine tum breve, tum longum; ut *Unius*, *illius*; præter *Alterius*, quod ubique I habet breve, *Alius* vero longum.

VIRG. Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei.
HORAT. Nullius addictus jurare in verba magistri.

EXCEPTIO IV.

Caï, *Pompeï*, *Vulteï*, & si qui sint similes vocandi casus, penultimam habent longam,

MART. Quod peto da, Caï: non peto Consilium.
OVID. Accipe Pompeï deductum carmen ab illo.

Ohe & Io interjectio, priorem habent communem.

MART. Ohe jam satis est, Ohe libelle.
SIL. Quaque ferebatur ductor Sidonius, Io
Conclamant.
MART. Rursus Io magnos clamat tibi Roma triumphos.

Io Inachi filia, quamvis frequentius vocalem ante vocalem producat, apud Ovid. tamen, in epist. Hypermnestræ ad Linum corripitur.

Quæ tibi causa fugæ est? Quid Io freta longa perérras?

APPENDIX I.

Græca multa vocalem ante vocalem longam habent, ut *Aër*, *Achaia*, *Achelous*, *agea*, via in navi; *Aonides*, *Chorea*, *Clio*, *Cytherea*, *Darius*, *Elegia*; *Enyo*, id est, Bellona; *Laertes* et a λαος composita, *Laomedon*, *Menelaus*; *Latous*; *Oreades*, Deæ montium; *Panchaia*, *platea*; *pareas*, serpentis nomen; *Threicius*, *Taygetus*, mons; & *Taygete*, Agenoris filia; *Troas*, *Troius*, &c.

Chorea, *Platea*, *Malea*, *Nereis*, *Dædaleus*, *graphium*, *Diana*, interdum a Poetis corripiuntur.

VIRG. Pars pedibus plaudent choreas, et carmina dicunt.
HORAT. Puræ sunt plateæ, nihil ut meditantibus obstet.
STAT. Accipit extemplo, Maleæ de valle resurgens,
Notum iter ad Thebas.
CLAUD. Lascivas doctum fallere Nereidas.
OVID. Quid digitis opus est graphium lassare tenendo?
VIRG. Constiterant sylva alta Jovis, lucusque Dianæ.

Eoos et *Eous*, cum modo per ε, modo per η a Græcis scripta inveniantur, corripi vel produci possunt.

PROP. Sive illam Hesperiis, sive illam ostendat Eois,
Uret et Eoos, uret et Hesperios.

Quæ apud Græcos per diphthongum ει scribuntur, apud nos modo per I longum efferuntur; in *Alexandria*, *Antiochia*, *bravium*, *idolium*, *Thalia*, *xenodochium*, &c modo in E etiam longum convertuntur; *Æneas*, *conopeum*, *gynæceum*, *odeum*, *platea*, &c.

Nonnumquam, soluta diphthongo, ε in η mutatur, quod E longum valet: ut *Cytherea*, *Cythereia*; *Elegia*, *Elegeia*.

OVID. Exigit indicii memorem Cythereia pœnam:
IDEM. Flebilis indignos Elegeia solve capillos.

APPENDIX II.

Idea, *Andreas*, *philosophia*, *symphonia*, *etymologia*, *orthographia*, et alia quam plurima, vocalem ante vocalem corripiunt; licet eadem nomina, acuta penultima, multi (more Græcorum) pronuntient.

HORAT. Ut gratas inter mensas symphonia discors.

Quamvis accusativi Græci in EA ab EUS fere semper correpti legantur; reperies tamen apud Virgilium in *Idomenea* et *Ilionea* extendi.

Præceptum II.

De Diphthongis.

Diphthongus longa est in Græcis atque Latinis.
Præ brevia, si compositum Vocalibus anteit.

DIPHTHONGUS longa est, tam in Græcis quam Latinis dictionibus; ut *Æneas*, *Melibœus*, *Præmium*, *Laus*.

VIRG. Miratur molem Æneas, magalia quondam.
IDEM. O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit.

EXCEPTIO.

Præpositio *Præ* composita, cum vocalem præcedit, brevis est; ut *Præustus*, *præeo*, *præacutus*.

VIRG. Stipitibus duris agitur sudibusve præustis.

Statius tamen lib. 6 Thebaid. dixit.

Præmia cum vacuus, domino præiret Arion.

Præceptum III.

De Positione.

Vocalis longa est, si Consona bina sequatur,
Aut duplex, aut I Vocalibus interjectum.

VOCALES ante duas consonantes, vel unam duplicem, vel ante I, sequente alia vocali ejusdem dictionis, longa est positione; ut *Terra*, *Araxes*, *Gaza*, *majora*, *Troja*.

LUC. Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes.
VIRG. Sacra, suosque tibi commendat Troja penates.
IDEM. Sicelides Musæ, paulo majora canamus.

EXCEPTIO.

Bijugus, *quadrijugus*, et reliqua a *jugo* composita, vocalem ante I corripiunt.

VIRG. Interea bijugis infert se Leucagus albis.
IDEM. Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

APPENDIX I.

Si altera consonans fuerit in fine præcedentis dictionis, altera in principio sequentis, vocalis nihilominus longa erit; ut *At pius:* A longum est positione duarum consonantium T et P, quamvis sint in diversis dictionibus.

VIRG. At pius Æneas, per noctem plurima volvens.

APPENDIX II.

Si utraque consonans, aut duplex, fuerit in principio sequentis dictionis, fere nihil præcedentem vocalem brevem juvabit.

Ovid. In solio Phœbus claris lucente smaragdis.
Virg. Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos.
Lucan. Talem fama canit tumidum super æquora Xerxem.

Lucente, *nemorosa*, *æquora*, ultimas habent breves, licet duæ consonantes, aut una duplex sit in principio sequentium dictionum.

Præceptum III.

De liquescentibus.

Si mutam liquidamque simul brevis una præivit.
Contrahit Orator, variant in carmine Vates.

VOCALIS brevis ante mutam et liquidam ejusdem dictionis, in carmine communis est, at in soluta oratione perpetuo corripitur; ut *Volucris*, *Cyclops*.

Ovid. Et primo similis volucri; mox vera volucris.
Virg. Ignarique via, Cyclopum allabimur oris.
Idem. ———————Vastosque ab rupe Cyclopas.

APPENDIX I.

Necesse est præcedere mutam, sequi liquidam, alioqui syllaba non liquescit; ut *patris*: deinde vocalem natura brevem esse, nam vocalis natura longa numquam liquescit; ut *matris*. Agnoscitur autem syllaba brevis sæpe ex quantitate nominativi; ut *Calaber*, *Cantaber*, *Pater*, A natura breve habent, quod accentus docet, vel exempla Poetarum; quare in *Calabro*, *Cantabro*, *Patre*, A natura breve liquescit; at *saluber*, *mater*, *ater*, producunt penultimam, quare hæc in *salubre*, *matre*, *atrum*, numquam corripitur. Ubi hæc regula usui non est, accentus usui erit, aut exempla Poetarum.— Nam quæ accentu corripiuntur, natura brevia sunt ut *Tenebræ*, *latebræ*, *pharetra*, *cerebrum*: quæ pro

ducuntur, natura longa; ut *Ambulacrum*, *delubrum*, *ventilabrum*, *volutabrum*. Item quæ brevia reperiuntur apud Poetas, sunt natura brevia, ut *Atrox*.

APPENDIX II.

Necesse est etiam ut muta et liquida ad sequentem vocalem spectent. Quocirca *abluo*, *obruo*, *sublevo*, *adnitor*, & cætera ex his præpositionibus composita, numquam primam corripiunt, quia muta ad præcedentem vocalem pertinet. Composita tamen ex RE; ut *reflecto*, *refreno*, *refringo*, *recludo*, *reprimo*, primam sæpius corripiunt, quam producunt; quia muta ad sequentem vocalem refertur.

APPENDIX III.

M et N, raro liquescunt, idque in Græcis dictionibus dumtaxat; ut *Tecmessa*, *Cygnus*, *Terapnæ*, *Ichneumon*.

SIL. Ecce inter primos Terapnæo a sanguine Clausi.
MART. Delectat Marium si perniciosus Ichneumon.

Præceptum IV.

De Præteritis dissyllabis.

Præterita assumunt primam dissyllaba longam.
Sto, Do, Scindo, Fero, *rapiunt*, Bibo, Findo, *priores*.

PRÆTERITA dissyllaba habent priorem longam; ut *veni*, *vidi*, *vici*.

VIRG. Venit summa dies, et ineluctabile tempus.
IDEM. Quos ubi confertos audere in prælia vidi.
IDEM. Contra vivendo vici mea fata superstes.

EXCEPTIO.

Steti, *dedi*, *scidi*, *tuli*, *bibi*, *fidi*, a *findo*, corripiunt primam.

MART. Dixit, & ardentes avido bibit ore favillas.
LUCAN. Abscidit, & medias fecit sibi littora terras.
VIRG. Diffidit, & multa porrectum extendit arena.

APPENDIX.

Compositum *abscidi*, cum a *cædo* descendit, producit mediam; a *scindo* corripit.

LUCAN. Abscidit impulsu ventorum adjuta vetustas.
IDEM. Abscidit nostræ multum sors invida laudi,
MART. Abscidit vultus ensis uterque sacros.

Præceptum V.

De præteritis geminantibus primam syllabam.

Præteritum geminans primam, breviabit utramque.
Ut *Pario, peperi*, vetet id nisi consona bina.
Cædo cecidit habet longam, ceu *Pedo*, secundam.

CUM prima syllaba præteriti geminatur, eadem et secunda, brevis est, ut *Cecini*, *tetigi*.

VIRG. Tityre te patulæ cecini sub tegmine fagi.

EXCEPTIO.

Excipiuntur *Cecidi* a *cædo*, *Pepedi* a *pedo*, in quibus secunda longa est; ut & in iis, in quibus duæ consonantes sequuntur; ut *Cucurri*, *tetendi*.

JUVEN. Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit.

Præceptum VI.

De supinis dissyllabis.

Cuncta supina volunt primam dissyllaba longam.
At Reor et Cieo, Sero et Ire, Sinoq; Linoq;
Do, Queo, et *orta* Ruo, *breviabunt rite priores.*

SUPINA duarum syllabarum habent priorem longam; ut *Visum*, *motum*.

VIRG. Terribiles visu formæ, Letumque, Laborque.
Id. Quos ego . . . . sed motos prestat componere fluctus.

EXCEPTIO.

A *reor ratum*, a *sero satum*, a *do datum*, a *cieo citum*, a *lino litum*, ab *eo itum*, a *ruo rutum*, a *queo quitum*, a *sino situm*, supina dissyllaba primam corripiunt.

VIRG. Nos abiisse rati, et vento petiisse Mycenas.
IDEM. At non ille, satum quo te mentiris, Achilles.
VAL. *Flac*, Vulnus, et extrema sonuit cita cuspide cassis.
OVID. Hic situs est Phaeton, currus auriga paterni.

APPENDIX I.

Citum a *cieo* secundæ conjugationis, priorem brevem habet; unde *Concitus*, *excitus*, penultima brevi.

VIRG. Altior insurgens, & cursu concitus Heros.
OVID. Nec fruitur somno vigilantibus excita curis.

Citum vero a *cio* quarti ordinis, priorem producit; unde *Concitus*, *excitus*, penultima longa.

LUCAN. Unde ruunt toto concita pericula mundo.
IDEM. Rupta quies populis, stratisque excita juventus.

EXCEPTIO II.

Ruo nunc facit *ruitum* supino, priscis sæculis *rutum* fecit; unde composita, *Dirutum*, *erutum*, *obrutum*.

OVID. Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant.
VIRGIL. Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum Pergama.

APPENDIX III.

Statum videtur priorem habere communem: inde enim *status*, *us*; & *status*, *a*, *um*, priore brevi oriuntur; et composita quæ per I efferuntur, ipsum corripiunt; ut *præstitum*.

OVID. Hic status in cælo multos permansit in annos.
IDEM. Musa, quid a Fastis non stata sacra petis?

Inde etiam *staturus*, *constaturus*, *et quæ per* A efferuntur, idem producunt.

LUCAN. Tunc res immenso placuit statura labore.
MART. Constatura fuit Megalensis purpura centum.

Præceptum VII.

De Supinis pollysyllabis.

UTUM producunt pollysyllaba cuncta supina.
IVI præterito semper producitur ITUM.
Cætera corripes in ITUM quæcumque supina.

SUPINA in TUM pollysyllaba, præcedente U habent penultimam longam; ut *Solutum*, *argutum*, *indutum*, &c.

VIRG. Lumina rara micant, somno vinoque soluti.

Item in ITUM a pæteritis in IVI, ut *Cupivi*, *cupitum ; petivi*, *petitum ; conditum* a *condio.*

OVID. Exul eram, requiesque mihi, non fama petita est.

Supina in ITUM a præteritis in UI dissyllabum per U vocalem, cæteraque supina in ITUM habent penultimam brevem ; ut *Monui*, *monitum* ; *tacui*, *tacitum ; creditum.*

VIRG. Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.
IDEM. Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse relinquat ?

Præceptum VIII.

De Derivatis.

Derivata patris naturam verba sequuntur.
Mobilis & Fomes, Laterna, *ac* Regula, Sedes,
Quamquam orta e brevibus, gaudent producere primam.
Corripiuntur Arista, Vadum, Sopor, *atque* Lucerna;
Nata licet longis. Usus te plura docebit.

DERIVATA sequuntur naturam eorum, a quibus derivantur; ut *Legebam*, *legam*, *lege*, *legito* prima brevi, quia oriuntur a præsenti, *lego*, *legis*, cujus prior itidem brevis est.

Legeram, *legissem*, *legero*, *legisse* prima longa, quia a præterito *legi* nascuntur, cujus prior etiam longa est.

Aratrum, *simulacrum*, *ambulacrum*, *lavacrum*, *volutabrum*, *involucrum* penultima longa quia a supinis *aratum*, *simulatum*, *ambulatum*, *lavatum*, *volutatum*, *involutum* deducuntur, quorum penultima similiter longa est.

Reditus, *exitus*, *introitus*, *aditus*, *initus* penultima correpta, quia supina, unde fiunt, eamdem habent brevem.

EXCEPTIO.

Multa, quæ suæ originis naturam non sequuntur. usu assiduaque Poetarum lectione sunt discenda: cujusmodi sunt *Fomes*, *mobilis*, *laterna*, *regula*, *sedes*, quæ primam habent longam, cum verba *foveo*, *moveo*, *lateo*, *rego*, *sedeo*, a quibus proficiscuntur, eamdem corripiant. Item *Litura* a *lino*, *Tegula* a *tego*, *Macero* a *macer*, *Lex legis* a *lego*, *Regna* a *rego*, *Secius* a *secus*, *Vox vocis*, *vocalis* & *vociferor*, a *voco*, *Humor* & *humanus* ab *humus*, *Nonus* a *novem*, *Stipendium* a *stipe*.

Contra *Lucerna*, *arista*, *sopor*, *vadum*, primam corripiunt, cum verba *luceo*, *areo*, *sopio*, *vado*, a quibus declinantur, eamdem producant. Item *Curulis* a *curru*, *Vitium* a *vito*, *Fragor* & *fragilis* a *frango*, *Odium* ab *odi*, *Bubulcus* a *bubus*.

Præceptum IX.

De Compositione.

Legem Simplicium retinent Composta suorum,
Vocalem licet aut diphthongum syllaba mutet.
Dejero corripies cum *Pejero* et *Innuba*, nec non
Pronuba, *Fatidicum*, et socios cum *Semisopitus*.
Queis etiam *Nihilum*, cum *Cognitus*, *Agnitus*, hærent.
Longa *Imbecillus*, verbumque *Ambitus* amabit.

COMPOSITA brevitatem vel longitudinem simplicium sequentur.

In *Perlego*, *relego*, E ante G brevis est, quia in simplici *lego* etiam corripitur. In præterito *perlegi*, *relegi* producitur, quia in simplici *legi* itidem longa est.

Attigi, *concidi*, *diffidi*, *ebibi*, *rescidi*, I litteram habent brevem, quia in simplicibus eadem vocalis corripitur; *Tetigi*, *cecidi* a *cado*, *&c.*

Oblitum, *insitum*, *circumdatum*, *desitum* penultimam ob eamdem causam habent brevem: nam a *litum* fit *oblitum*, *&c.*

Quantitas simplicium servatur in compositis, quamvis vocales mutentur. Sic *Concido*, *excido*, *incido*, *occido*, *recido*, a *cado*, penultimam corripiunt: *Eligo*, *seligo*, a *lego*.

Contra *Concido*, *excido*, *incido*, *occido*, *recido*. a *cado*, eamdem producunt: sic *Allido a lædo*, *Exquiro*, *requiro*, a *quæro*, *Obedio*, *obedis*, ab *audio*.

VIRG. Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja.
JUVEN. Occidit miseros crambe repetita magistros.

HÆC a simplicibus longis orta corripiuntur.

Dejero, *pejero*, a *juro*; *Pronuba*, *innuba*, a *nubo*; *Maledicus*, *caussidicus*, *veridicus*, *fatidicus*, a *dico*; *Semisopitus*, a *sopitus*; *Nihilum*; ex *ni* et *hilum*; *Cognitum*, et *agnitum* a notum.

Imbecillus, a *baculo* descendens, secundam longam habet.

Ambitus, secundum Priscianum a supino producto, secundum alios a correpto proficiscitur.

Connubium a *nubo* secundam syllabam habet communem.

VIRG. Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas.
IDEM. Connubio jungam stabili propriamque dicabo.

Præceptum X.

De Præpositione in compositione.

Longa A, DE, E, SE, DI; præter *Dirimo* atque *Disertus*.
Sit RE breve: at *Refert* a *Res* producito semper.
Corripe PRO Græcum, sed produc rite Latinum.
Contrahe, quæ *Fundus*, *Fugio*, *Neptisq*, *Neposque*,
Et *Festus*, *Fari*, *Fateor*, *Fanumque* crearunt.
Hisce *Profecto* addes, pariterque *Procella*, *Protervus*,
Atque *Propago* genus, *Propago* protrahe vitis.
Propino varia, verbum *Propago*, *Profundo*.
Propulso, *Procurro*, *Propello*, *Proserpina* junge.
Corripe AB, et reliquas, obstet nisi consona bina.

A, E, DE, DI, SE, longa sunt; ut *Amitto*, *erumpo*, *deduco*, *diripio*, *separo*.

VIRG. Amissos longo socios sermone requirunt.
IDEM. Deducunt socii naves, et littora complent.
IDEM. Tergora diripiunt costis, et viscera nudant.

EXCEPTIO.

Dirimo et *Disertus* Di corripiunt.

VIRG. Cede Deo. Dixitque et prælia voce diremit.
MART. Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata.
IDEM. Non tu Pomponi, cœna diserta tua est.

Refert a *Refero* corripitur: cum significat *interest*, producitur.

VIRG. ———Neque enim numero comprendere refert.

PRO præpositio brevis est apud Græcos, ut *Propontis*; longa apud Latinos, ut *Proveho*.

OVID. Misit in has si quos longa Propontis aquas.
VIRG. Provehimur portu, terræque urbesque recedunt.

EXCEPTIO.

Verum corripiuntur *Profundus*, *profugus*, *pronepos & proneptis*, *profestus*, *profari*, *profiteor*, *profanus*, *profecto*, *procella*, *protervus*, & *propago*, cum genus significat; nam *propago*, cum ad vites refertur, producitur.

LUCAN. Quam prior affatur Pompeii ignava propago.
VIRG. ——— pressos propaginis arcus.

Proficiscor & propero huc non pertinent; videntur enim simplicia.

Propino, *propago* verbum, *propulso*, *procurro*, *propello*, & *Prosperpina*, primam habent communem; *profundo*, rarissime eamdem producit.

Præpositiones AB, ut *abeo*; AD, ut *adoro*; ANTE, ut *antefero*; CIRCUM, ut *circumago*, IN, ut *inuro*; OB, ut *obeo*; PER, ut *perimo*; SUB, ut *subeo*; SUPER, ut *superaddo*, corripiuntur.

JUVEN. Circumagat madidas a tempestate cohortes,

Aliquando sequente consonante præpositionis consonans abjicitur, eadem quantitate servata.— Hinc *aperio*, *omitto*, et *operio* primam etiam corripiunt.

OVID. Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.
HORAT. Quod petiit, spernit; repetit, quod nuper omisit.
PROP. Hinnulei pellis totos operibat amantes.

Præceptum XI.

De A, E, I, Y, et O, in compositione.

Produc A *semper, composti parte priore*:
At simul E, *simul* I, *ferme breviare memento.*
Nequidquam *produc*, Nequando, Venefica, Nequam,
Nequaquam, Nequis *sociosque*; Videlicet *addes.*
Idem *masculeum produc*, et Siquis, Ibidem.

Scilicet, et Bigæ, Tibicen, Ubique; Quadrigæ,
Bimus, Tantidem, Quidam, et *composta Diei.*

SI prior pars compositi A vocali terminetur, producitur; ut *Trano*, *traduco*, *trado.*— Sin autem E, fere brevis est; *Liquefacio*, *tepefacio*, *cremefacio*, *stupefacio*, *nefas*, *trecenti.*

Rarefacio, *patefacio*, *rarefio*, longa etiam reperiuntur; ut & *liquefacio* apud Ovid. libr. 9. Metamorph. fab. 3 et *tepefacio* apud Catullum.

VIRG. Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa.
IDEM. ——— atro tepefacta cruore.
JUVEN. Credebant hoc grande nefas, et morte piandum.

EXCEPTIO.

Excipe *Nequis*, *nequa*, *nequod*, *nequam*, *nequitia*, *nequaquam*, *nequidquam*, *nequando*, *videlicet*, *venefica*, *semodius*, *Selibra* tamen corripitur a Martiale.

VIRG. Nequa meis esto dictis mora; Jupiter hac stat.
OVID. Barbara narratur venisse venefica tecum.
MART. Et thuris piperisque tres selibræ.

Si prior pars compositionis in I vel Y desinat, corripitur; ut *Omnipotens*, *caussidicus*, *tubicen*, *melilotus*, *biceps*, *triceps*, *bicorpor*, *tricorpor*, *tricuspis*, et similia; *Polydorus*, &c.

VIRG. Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas.
MART. Carpere caussidicus fertur mea carmina.
OVID. Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amat.
VIRG. Nam Polydorus ego, &c.

EXCEPTIO.

I longum habent *ibidem*, *ubique*, *idem* pronomen masculini generis, nam neutrius breve est, *Bigæ*, *quadrigæ*, *siquis*, *siqua*, *siquod*, *scilicet*; *ilicet*, *tibicen*, *meliphyllon*, *Trinacria*, *bimus*, *trimus*, *quadrimus*, *tandidem*, *quivis*, *quidam*, *quilibet*, *biduum*, *triduum*, cæteraque composita ex *dies*, *meridies*, *quotidie*, *&c.*

MART. Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem.
IDEM. Si totus tibi triduo legatur.
IDEM. Inter tepentes post meridiem buxos.

Quatriduum, corripitur interdum; ut & *quotidianus* a Catullo.

Ubicumque, frequentius I habet breve.

MART. Qui tecum cupis esse meos ubicumque libellos.
Ovidius tamen produxit; Fervor ubicumque est, &c.

Ubivis et ubilibet produci solent.

Parricida et matricida produxit Ausonius.

De O in compositione.

Græcum o micron *prima composti corripe parte:*
Ω μεγα produces, partem dum claudit eamdem.
O Latium in variis breviat vel protrahit usus.

O IN Græcis dictionibus, priorem compositi partem claudens, corripitur; ut *Cymothoe*, *Carpophorus*, *Argonauta*.

MART. Sæcula Carpophorum Cæsar, si prisca tulissent,
Jam nullum monstris orbe fuisset opus.
IDEM. Non nautas puto vos, sed Argonautas.

EXCEPTIO.

Quæ per ω mega scribuntur, longa sunt: ut *geometra*, *Minotaurus*, *lagopus*: nec plura facile invenias, quibus utantur Latini.

VIRG. Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandæ.
MART. Si meus aurita gaudet lagopode Flaccus.

O in Latinis dictionibus compositis partim producitur, ut *Alioquin*, *quandoque*; partim corripitur, ut *Quandoquidem*, *hodie*, *duodenus*, *&c.*

VIRG. Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba.
HORAT. Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.

CAPUT II.

De Singulari Nominis Incremento.

§ I. *Quid sit incrementum.*

SI Genitivus singularis par fuerit Nominativo syllabarum numero, nullum erit incrementum; ut *Musa*, *musæ*; *Dominus*, *Domini*. Sin longior fuerit, tum penultima genitivi incrementum erit, quæ in omnibus casibus utriusque numeri semper genitivi quantitatem servat; ut *Sermo*, *sermonis*, *sermones*, *sermonibus*, ubique o longum est.

Præter *Bobus*, ubi o producitur, quamvis in genitivo singulari corripiatur *Bovis*.

APPENDIX.

Iter, *suppellex*, et composita ex *caput* litteris PS finita, duplici augentur incremento: *itineris*; *supellectilis*; *biceps*, *bicipitis*.

§ II. *Incrementum Primæ et Secundæ Declinationis.*

Casibus obliquis vix crescit Prima; Secunda
Corripit incrementa; tamen producit *Iberi*.

A Incrementum primæ declinationis nullum est, nisi apud Poetas; ut *Aulai*, *Pictai*, quod longum est.

VIRG. Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Incrementa secundæ declinationis corripiuntur: ut *Miser*, *miseri*; *vir*, *viri*; *satur*, *saturi*.

VIRG. Non ignara mali miseris succurrere disco.
PERSIUS. ——— inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.

EXCEPTIO.

Iber, *iberi*, penultimam habet longam, et ex eo compositum *Celtiber*, *Celtiberi*.

LUCAN. Interea domitis Cæsar remeabat Iberis.
MART. Vir Celtiberis non tacende gentibus.

De genitivo in IUS crescente dictum est supra.

§ III. Incrementa tertiæ Declinationis.

A

Nominis A crescens, quod flectit Tertia, longum est.
Mascula corripies AR et AL finita, simulque
Par cum compositis, *Hepar*, cum *Nectare*, *Bacchar*.
Cum *Vade*, *Mas*, et *Anas*; cui junge *Laremque*
*Jubar*que.

A Incrementum singulare tertiæ declinationis longum est: ut *Vectigal*, *Titan*, *pietas*, *pax*, *calcar*, *et Ajax*.

OVID. Concitat iratus validos Titanas in arma.
VIRG. Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.

EXCEPTIO I.

Corripe masculina in Al et Ar, ut *sal*, *Hannibal*, *Amilcar*, *par*, *impar*, *compar*, &c.

VIRG. Vela dabant læti, et spumas salis ære ruebant.
SIL. Hannibalem Fabio ducam spectante per Urbem.
IDEM. Cui sævum arridens, narrabis Amilcaris umbris.

A, AS.

A quoque et AS Græcum, breve postulat incrementum,
A quoque finitum, si consona ponitur ante;
Et *Dropax*, *Anthrax*, *Atrax*, cum *Smilace*, *Climax*.
His *Atacem*, *Panacem*, *Colacem*, *Styracem*que, *Facem*que,
Atque *Abacem*, *Coracem*, *Phylacem*, compostaque nectes.
Adde *Harpax*: *Syphacis*que tamen dic atque *Syphacis*.

ITEM Græca in A et AS; ut *Poema*, *stemma*, *Pallas*; et quæ consonantem habent ante S; ut *Trabs*, *Arabs*; et *Fax*, *Styrax*, *Arctophylax*; et

alia composita a *phylax*, *smilax*, et *climax*. Itemque illa minus usitata, *dropax*, *colax*, *nycticorax*, *&c.* *Candax* et *Pharnax* non sunt in usu, sed *Pharnaces*, *Candace*.

JUVEN. Stemmata quid faciunt?
VIRG. Instar montis equum divina Palladis arte
Ædificant.
OVID. Nam modo thurilegos Arabas, modo suspicit Indos.

E

E crescens numero breviabit Tertia primo:
Præter *Iber*, Patriosque ENIS; (sed contrahit *Hymen*)
Ver, *Mansues*, *Locuples*, *Hæres*, *Mercesque*, *Quiesque*.
Lex, *Vervex*, *Præs*, *Fæx*, *Seps*, *Plebs*, *Rex*, insuper *Halec*.
EL peregrinum; ES, ER Græcum; *Æthere* et *Aere* demptis.

E Incrementum singulare tertiæ declinationis breve est; ut *Grex*, *teres*.

OVID. Mille greges illi. ———

EXCEPTIO.

Excipitur *Iber*, *Iberi*; et Genitivus ENIS penultimam habet longam; ut *Ren*, *renis*; *Siren*, *sirenis*. *Hymen*, *hymenis*, corripitur. Producuntur autem *Ver*, *mansues*, &c.

EXCEPTIO II.

Item peregrina in EL, ut *Michael*, et Græca in ER et ES; ut *Crater*, *later*, *soter*; *Tapes*, *lebes* præter *Aer* et *Æther*.

VIRG. Crateras magnos statuunt, et vina coronant.
OVID. Viginti fulvos operoso ex ære lebetes.

I vel Y

I crescens Numero breviabit Tertia primo:
Graia sed in Patrio casu INIS et YNIS adoptant.
Et *lis*, *Glis*, *Samnis*, *Dis*, *Gryps*, *Nesisque*, *Quirisque*,
Cum *Vibice*, simul longa incrementa reposcunt.

I vel Y incrementum singulare tertiæ declinationis breve est; ut *Stips*, *stipis*; *pollex*, *chlamys*, *chalybs*.

Ovid. Dic, inquam, parva cur stipe querat opes.
Virg. At Chalybes nudi ferrum.

EXCEPTIO

Genitivus INIS, vel YNIS, a nominibus Græcis, penultimam producit; ut *Delphin*, *Phorcyn*, *Salamis*. Item, *Dis*, *ditis; vibex*, *vibicis*; *glis*, *gliris*; *gryps*, *gryphis*; *Samnis*, *Samnitis*; *Nesis*, *Nesidis*: *apsis*, *apsidis*, &c. Sunt tamen, qui *apsidis* putent posse corripi nam et ἁψῖδες accentu acuto in penultima invenitur: *Psophis* mediam communem habet.

Virg Orpheus in silvis, inter Delphinas Arion.
Idem. Laomedontiadem Priamum Salamina petentem.
Idem. Noctes atque dies patet atri janua Ditis.

IX vel YX.

IX produc: breviato *Histrix*, cum *Fornice Varix*,
Coxendix, *Chœnix*que, *Cilix*, *Natrix*que, *Calix*que.
*Phryx*que, *Larix*, et *Onyx*, *Pix*, *Nix*que, *Salix*que, *Filix*que.
Mastichis his et *Eryx*, *Calicisque* et *Iapygis* addes,
Quæque ultra invenies. *Bebryx* variare memento.

Nomina IX vel YX syllaba finita, penultimam genitivi habent longam; ut *Felix*, *felicis*; *bombyx*, *bombycis*; *perdix*, *coturnix*, *pernix*, *lodix*.

Virg. Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua.

EXCEPTIO.

Excipitur *Cilix*, *histrix*, *fornix*, *pix*, *natrix*, serpentis genus; item *Styx*, *strix*, et propria quædam, ut *Ambiorix*, et gentilia, ut *Biturix*.

Luc. Armenios, Cilicasque feros, Taurosque subegi,
Idem. Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.

Mastix, mastichis pro gummi lentisci corripitur, *mastigis* vero pro flagello producitur.

Appendix multi protrahunt, sunt tamen qui breviari contendant. *Bebryx* variatur.

O

O crescens numero producimus usque priore.
O parvum in Græcis brevia, producito magnum.
Ausonius genitivus ORIS, quem neutra dedere,
Corripitur: propria huic junges: ut *Nestor* et *Hector*.
Os, oris, mediosque gradus extende: sed *Arbos*,
Πους composta, *Lepus*, *Memor* et *Bos*, *Compos* et *impos*?
Corripe: *Cappadocem*, *Allobrogem*, cum *Præcoce*, et *Obs*, *Ops*.
Verum produces *Cercops*, *Hydrops*que, *Cyclops*que.

O Incrementum singulare tertiæ declinationis in Latinis nominibus longum est; ut *Sol*, *vox*, *velox*, *victor*, *ros*, *flos*, *dos*, *cos*, *tiro*, *custos*

OVID. Regia Solis erat sublimibus alta columnis.

EXCEPTIO I.

Græca in On, quæ in obliquis habent O micron, corripiuntur; ut *Philemon*, *Palemon*, *Sindon*, *Agamemnon*, *Iason*, *Amazon*, et multa alia, quæ usu discenda sunt.

VIRG. Pulsant et pectis bellantur Amazones armis.

Latini interdum N litteram omittunt; ut *Macedo*, *Macedonis*; *Brito*, *Vasco*, *Saxo*, *Pepo*, *Agamemno*, *Britones* apud Martial. l. II penultima producta reperies; ut et *Vectones* lib. 4 et *Axones* lib. 7, apud Lucanum.

STAT. Conclamant Danai, stimulatque Agamemno volentes.

Quæ vero per ω mega scribuntur, longa sunt; ut *Sinon*, *spado*, *mango*, *agon*, *Sidon*, quod et

lib. 8. Silius semel corripuit, *Solon*, *Lacon*, *Sicyon*, &c.

Duo variantur, *Orion* et *Ægeon*.

EXCEPTIO II.

Genitivus in Oris, a nominibus Latinis neutris, penultimam habet brevem; ut *Marmor*, *ebur*, *corpus*: *ador*, quod raro declinatum invenitur, communem. Sed *os*, *oris*, et comparativi gradus, ut *majus majoris*, &c. incrementum longum habent.

Ex ωους ποδος composita, ut *Tripus*, &c. item *memor*, *arbor*, *lepus*, *bos*, *compos* et *impos*, corripiuntur.

VIRG. Sic vos non vobis fertis aratra boves.

EXCEPTIO III.

Corripiuntur etiam *Cappadox*, *Allobrox*, *Præcox*; et quæ consonantem habent ante s; ut *Scrobs*, *Æthiops*, *Cecrops*, *Dolops*: præter *Cyclops*, *cercops*, *hydrops*.

MART. Cappadocem sævis Antistius occidit oris.
VIRG. Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles.
OVID. Tela reponuntur manibus fabricata Cyclopum.

U

U *brevia incrementa feret: sed casus in* URIS, UDIS et UTIS *ab* US *Recto producitur*, et Fur, Lux, Pollux. *Brevia* Intercus*que*, pecus*que*, Ligus*que*.

U Incrementum tertiæ declinationis breve est; ut *Murmur*, *furfur*, *turtur*.

Dux, *Ligus*, et *pecus*, *intercus*, cum *Præsule*, *turtur*.

VIRG. Magnanimosque duces, totiusque ex ordine gentis.

EXCEPTIO.

Interrogandi casus UDIS, URIS, et UTIS a nomi-

nibus in us, penultimam habent longam; ut *Palus*, *paludis*; *incus*, *incudis*; *tellus*, *telluris*; *virtus*, *virtutis*: item *fur*, *furis*, cum cæteris obliquis: itemque *Pollux*, *lux*, et *frugis* a nominativo *frux* inusitato.

VIRG. Quid domini facient, audent cum talia fures.
TIB. Luce sacra requiescit humus, requiescit arator.

§ IV. *De Plurali nominis incremento.*

PEnultima genitivi vel dativi pluralis numeri dicitur incrementum plurale, cum uterque casus longior est nominativo ejusdem numeri; ut *Musæ*, *Musarum*; *Ambo*, *amborum*, *ambobus*; *Qui*, *quorum*, *quibus*: *Res*, *rerum*, *rebus*.

A, E, I, O, U.

Pluralis casus, si crescit, protrahat A, E,
Atque O, Corripies I, U; verum excipe *Bubus*.

A, E, O, incrementa multitudinis, longa sunt; ut *Quarum*, *harum*, *ambabus*; *Rerum*, *rebus*; *Horum*, *quorum*.

OVID. Cum tamen a turba rerum requieverit harum.
VIRG. At Capys, et quorum melior sententia menti.

I Et Y incrementa multitudinis corripiuntur; ut *Quibus*, *tribus*, *mentibus*, *lacubus*, *verubus*.

VIRG. Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.
OVID. Præmia de lacubus proxima musta tuis.

CAPUT III.

De verborum Incrementis.

Quid sit incrementum verbi.

SEcunda persona singularis modi Indicativi, norma est, ad quam verborum incrementa diriguntur: cui si verbum sit æquale, nullum erit incrementum. Sic *Amat*, *amant*, quia dissyllaba sunt, sicut *Amas* (quæ norma et regula est incrementorum) nullum habent incrementum. Sin verbum longius sit una syllaba, unum habebit incrementum; ut *Amamus*, *amatis*, quorum penultima incrementum est: nam ultima numquam dicitur incrementum. Si duabus syllabis norma superetur, duo erunt incrementa: ut *Amabamus*, *amabatis*.— Si tribus, tria: ut *amaverimus*, *amaveritis*. Si denique quatuor, totidem erunt incrementa; ut *Audiebamini*.

In verbis deponentibus fingenda est vox activa, ad quam verborum incrementa dirigantur.

Ultima syllaba, ut modo diximus, numquam est incrementum: prima vero est, si norma ipsa sit monosyllaba; ut *Das*, *Fles*; *Damus*, *Datis*, *dabam*, *dare*, & cætera dissyllaba, unum habent incrementum; eodem modo *Flemus*, *fletis*, *flebam*, *flere*, &c.

Præceptum I.

De incremento verborum per A.

A crescens produc, *Do* incremento excipe primo.

A In omni verborum incremento producitur; ut, *Stabam*, *stares*, *properamus*, *docebamus*, *audiebamini*, &c.

VIRG. Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.
OVID. Serius aut citius metam properamus ad unam.

EXCEPTIO.

A primum dumtaxat incrementum verbi *Do*, *das*, corripitur; ut *Damus*, *dabunt*, *dare*: ob quam causam pronuntiamus, *circumdamus*, *circumdabant*, *circumdare*; *venumdabo*, *venumdare*, &c. penultima brevi.

VIRG. His lachrymas vitam damus, et miserescimus ultro.
OVID. Jussit et ambitæ circumdare littera terræ.

Præceptum II.

De Incremento verborum per E.

E quoque producunt verba increscentia: verum
Prima E corripiunt ante R duo tempora Ternæ.
Dic BERIS atque BERE: at RERIS producito RERE.
Sit brevis E, quando RAM, RIM, RO adjuncta sequentur.
Corripit interdum *Steterunt*, *Dederunt*que Poeta.

E In omnibus verborum incrementis producitur; ut *Flebam*, *rebar*, *lacereris*, *docerem*, *legerunt*.

OVID. Flebat Aristæus, quod apes cum stirpe necatas
Viderat inceptos destituisse favos.
VIRG. Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum.
MART. Dædale, Lucano cum sic lacereris ab urso.
Quam cuperes pennas nunc habuisse tuas!

EXCEPTIO I.

E ante R breve est in quovis præsenti et imperfecto tertiæ conjugationis; ut *Cognoscere*, *Legerem*, *legeremus*, *legeris*, vel *legere*.

Beris etiam, et *Bere*, corripitur; ut *Celebraberis*, *celebrabere*.

Reris tamen, et *Rere*, producitur, *Loquereris*, *prosequerere*.

MART. Hoc tibi, Roma, caput, cum loquereris erat.

Velim etiam, *velis*, *velit*, &c breviantur.

EXCEPTIO II.

E ante RAM, RIM, RO, corripitur; ut *Amaveram*, *amaverim*, *amavero ; feceram*, *fecerim*, *fecero*.

De cæteris personis idem esto judicium, *Amaveris*, *amaverit*, *amaverimus*, *amaveritis ; fecerimus*, *feceritis*.

OVID. Fecerat exiguas jam sol altissimus umbras.

APPENDIX.

Poetæ in præterito Indicativi, E litteram ante RUNT syllabam, pro suo jure interdum corripiunt.

VIRG. Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.
HORAT. Dii tibi divitias dederunt, artemque fruendi.
SIL. Terruerunt pavidos accensu Ceraunia nautas.

Præceptum III.

De Incrementis verborum per I.

Corripit I crescens verbum ; sed deme *Velimus*, *Nolimus*, *Simus*, quæque hinc composta dabuntur.
Ivi præteritum, præsens Quartæ IMUS et ITIS.
Ri Conjunctivum possunt variare Poetæ.

I In quovis verborum incremento corripitur ; ut *Linquimus*, *amabimus*, *audiebamini*, *Venimus*, *comperimus*, *reperimus*, in præterito perfecto.

VIRG. Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus .
IDEM. Non nos aut ferro Libycos populare penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.

EXCEPTIO.

I longum habent ; *Nolito*, *nolite*, *nolimus*, *nolitis*, *velimus*, *velitis*, *simus*, *sitis*, et quæ ex ipsis componuntur ; ut *Possimus*, *adsimus*, *prosimus*, &c.

OVID. Et documenta damus, qua simus origine nati.
IDEM. Si quis, ut in populo, qui sitis, et unde requirat.

APPENDIX I.

Penultima præteriti in IVI longa est; ut *Petivi*: et primum incrementum quartæ conjugationis; ut *Ibam*, *ibo*, *ito*, *subimus*, *venimus*, *reperimus*, *audimus*, præsentis temporis.

VIRG. Cessi, et sublato montem genitore petivi.
IDEM. Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.
IDEM. Jungimus hospitio dextras, et tecta subimus.

APPENDIX II.

Tempora Conjunctivi modi, syllabis RIMUS et RITIS finita, habeantne penultimam brevem, an longam Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est, non solum recentiores, sed etiam veteres. Diomedes enim docet, præteritum breve esse, futurum vero longum: Probus utrumque longum esse affirmat. Quare, cum versus facies, Poetas optimos imitaberis, qui RI syllabam modo corripiunt, modo producunt, prout versus postulat. Sin tibi aliquid recitandum erit, ne sermonem des auditoribus, consuetudini regionis servies.

Præceptum IV.

De incremento verborum per O et U.

O incrementum produc, U corripe semper.
U sit in extremo penultima longa futuro.

O In verborum incrementis semper producitur; ut *Facitote.*

OVID. Cumque loqui poterit, matrem facitote salutet.

U in verborum incrementis ubique corripitur; ut, *Sumus*, *possumus*, *volumus*.

HOR. Nos numerus sumus, et fruges consumere nati.
IDEM. Si patriæ volumus, si nobis vivere cari.

U penultima futuri in RUM, et participii in RUS, semper est longa; ut *Amaturum*, *periturum*; *amaturus*, *periturus*.

VIRG. Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum.

CAPUT IV.

De ultimis syllabis.

SYLLABÆ, quæ ultimum locum tenent(partim positione, ut *Prudens*, *præcox*; partim diphthongo, ut *Musæ*, partim privatis præceptionibus cognoscuntur; de quibus nunc agendum est.

A in fine.

A finita dato longis, *Ita*, *Postea* deme,
Eja, *Quia*, et casus omnes: sed protrahe Sextum.
Productis Græcos casus adjunge vocandi.

A finita longa sunt; ut *Memora*, *contra*, *ultra*, *antea*, *triginta*, *&c.*

VIRG. Musæ, mihi causas memora, quo numine læso.
IDEM. Triginta capitum fœtus enixa jacebit.

EXCEPTIO.

Corripe, *eja*, *ita*, *postea*, *quia*.

Item casus omnes in A; ut *Ancora*, *vela*; præter ablativum, ut *de prora*: et vocativos Græcos; ut *o Ænea*, *o Atla*, *Calcha*, *Palla*.

VIRG. Non ita me experti Bitias et Pandarus ingens,
IDEM. Anchora de prora jacitur, stant littore puppes.
Idem. Quid miserum, Ænea, laceras? jam parce sepulto.

APPENDIX.

Numeralia quædam in GINTA interdum etiam correpta leguntur apud Martialem et Manilium. Sic, *Contra*, a Valerio Flacco, Ausonio, et Manilio, corripitur.

E in fine.

E brevia; Primæ Quintæque vocabula produc.
Cete, *Ohe*, *Tempe*, *Ferme*que, *Fere*que, *Fame*que,
Adde *Doce*, similemque modum et monosyllaba, præter
Enclyticas ac syllabicas: nec non, *Male* dempto
Ac *Bene*, produces adverbia cuncta Secundæ.

E littera finita corripiuntur; ut *Nate*, *fuge*, *pone*, *pene*, *nempe*.

VIRG. Heu fuge, nate Dea, teque his, ait, eripe flammis.
IDEM. Pene simul tecum solatia rapta, Menalca.

EXCEPTIO.

Producuntur omnia primæ et quintæ declinationis; ut *Anchisiades*, o *Anchisiade*, *Calliope*: *re*, *die*, et quæ inde oriuntur; ut *Quare*, *hodie*; quibus adde *fame*, *cete*, *tempe*, *ferme*, *fere*, *ohe*.

VIRG. Tros Anchisiade, facilis descensus Averni.
MART. Non venias quare tam longo tempore Romam.
VIRG. Objicit, ille fame rabida tria guttura pandens.
MART. Hoc si contigerit, fame peribis.

EXCEPTIO II.

Item verba Imperativi modi, numeri singularis, secundæ declinationis; ut *Vide*, *habe*. *Cave* tamen sæpe corripitur; fuit enim olim tertiæ, sicut et quædam alia; ut *Responde*, quod corripit Martialis; et *Vide*, quod Persius; et *Vale*, quod Ovidius.

HOR. Vade, vale, cave, ne titubes, mandataque frangas.
OVID. Nate, cave, dum resque sinit, tua corrige vota.

Sunt etiam longa monosyllaba; ut *Me*, *te*, *se*.

Exceptis conjunctionibus encliticis; *Que*, *ne*, *ve*, et syllabicis adjectionibus, *Pte*, *ce*, *te*; ut *Suapte*, *hosce*, *tute*.

VIRG. Tantane vos generis tenuit fiducia vestri.
HORAT. Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus.

EXCEPTIO III.

Longa præterea sunt adverbia, a nominibus secundæ declinationis profecta; ut *Placide*, *valde*, *minime*, *summe*; præter *bene* et *male*.

MART. Excipe sollicitos placide, mea dona, libellos.
IDEM. Nil bene cum facies, facis attamen omnia belle.
HORAT. Et male tornatos incudi reddere versus.

APPENDIX.

Adjectiva tertiæ declinationis, cum in adverbia transeunt, ultimam habent brevem; ut *Sublime*, *suave*, *dulco*, *facile*, *difficile*, &c.

VIRG. Cantantes sublime ferent ad sidera, cygni.
IDEM. Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti.

I in fine.

I produc: brevia *Nisi* cum *Quasi*, Græcaque cuncta,
Jure *Mihi* variare, *Tibique*, *Sibique*, solemus.
Sed mage corripies *Ibi*, *Ubi* dissyllabon et *Cui*.
Sicuti sed breviant, cum *Necubi*, *Sicubi* Vates.

I vocali terminata longa sunt; ut *Classi*, *fieri*, *uti*, *Mercuri*.

VIRG. Sic fatur lachrymans, classique immittit habenas.
MART. Quam vellem fieri meus libellus.
HORAT. Fertur uti pulvis collectus turbine.
IDEM. Mercuri, facunde nepos Atlantis.

EXCEPTIO I.

Corripe *Nisi*, *quasi*; et Græca quæ in I vel Y exeunt; ut *Palladi*, *Daphni*, *moly*.

OVID. Quid nisi Pierides, solatia frigida, restant.
VIRG. Infere, Daphni, pyros; carpent tua poma nepotes.

EXCEPTIO II.

Mihi, *tibi*, *sibi*, ultimam habent communem.

Ibi, *ubi*, ; *cui* cum dissyllabum est, frequentius corripiuntur.

Necubi, *sicubi*, et *sicuti*, semper correpta inveniuntur.

VIRG. Post mihi non simili pœna comissa luetis.
IDEM. Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.
MART. Sed norunt, cui serviant, leones.

O in fine.

O datur ambiguis, Græca et Monosyllaba longis;
Ergo pro causa, Ternus, Sextusque Secundæ;
Atque *Adeo* ac *Ideo*; adde adverbia nomine nata:
Sed *Cito* corripies, *Modoque*, et *Scio*, *Nescio* et *Imo*,
Et *Duo*. Sit varium *Sero*, et conjunctio *Vero*.

O finita ambigua sunt; ut *Quando*, *vigilando*, *nolo*.

MART. Nolo mihi ponas rhombum, mullumve bilibrem.
Nolo boletos, ostrea nolo; tace.

EXCEPTIO I.

Excipe monosyllaba; ut *O*, *do*, *sto*, ; dativos, et ablativos, ut *Somno*, *tuo*.

Item Græca quæ habent ω mega; ut *Androgeo*, *Atho*, *Clio*, *Alecto*, &c. ejusdem generis, quibus accedit *ergo* pro *causa*.

VIRG. O lux Dardaniæ, spes o fidissima Teucrum.
IDEM. Invadunt urbem, somno vinoque sepultam.
IDEM. Alecto torvam faciem, et furialia membra.

EXCEPTIO II.

Item adverbia a nominibus orta; ut *Subito*, *merito*, *multo* (*subito* tamen aliquoties a Seneca corripitur) quibus adduntur *Adeo*, *Ideo*.

Hinc rursus excipiuntur *Modo*, *quomodo*, *dum-*

modo, *postmodo*, *cito*, *imo* : quibus accedunt *scio*, *nescio*, *duo*.

Adverbium *fero*, et conjunctio *vero*, ultimam habent communem. Sunt, qui his *porro* jungant.

MART. Alcide cito Dii, sed tibi sero dabunt.
VALER. *Flac*— sin vero preces et dicta superbus
Respuerit.
JUVEN. Vester porro labor fecundior historiarum.

U, B, D, T, in fine.

U semper produc: B, D, T, corripe semper.

U finita, longa sunt; ut *Manu*. *cornu*, *Panthu*.

VIRG. Tela manu miseri jactabant irrita Teucri.
OVID. Nec mora, curvavit cornu, nervoque sagittam
Impulit.
VIRG. Quo res summa loco, Panthu, quam prendimus
arcem!

B, D, T, litteris terminata corripiuntur; ut *Ab*, *quid*, *audiit*.

VIRG. Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta.
IDEM. Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes.
IDEM. Audiit et Triviæ longe lacus, audiit amnis.

C, L, M, in fine.

C Longum est, varium *Hic* pronomen; corripe *Donec*.

Et *Nec*; *Fac* pariter malunt breviare Poeta.

C Littera finita, longa sunt; ut *Sic*, *hoc*, *hic*, adverbium.

VIRG. Sic oculus, sic ille manus; sic ora ferebat.
IDEM. Classibus hic locus, hic acies certare solebant.

EXCEPTIO.

Corripe *nec* et *donec*. *Hic* pronomen est anceps. *Fac* tutius corripitur.

OVID. Parve, nec invideo, sine me, liber, ibis in Urbem.
VIRG. Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis.
IDEM. Est hic, est animus lucis contemptor, et istum.
OVID. Hos fac et Armenios, hac est Dunacia Persis.
MART. Signa rarius, aut semel fac illud.

Corripe L; at produc *Sal*, *Sol*, *Nil*, multaque Hebræa.

L finita brevia sunt; ut *Asdrubal*, *semel*, *vigil*, *simul*, *Consul*, *mel*.

SIL. Vertit terga citus damnatis Asdrubal ausit.
HORAT. Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

EXCEPTIO.

Sal, *Nil*, *Sol*, longa sunt; item pleraque peregrina; ut *Nabal*, *Daniel*, *Saul*.

STAT. Non sal, oxyporumve caseusve.
MART. Nil aliud video, quo te credamus amicum.
OVID. Ulterius spatium media sol altus habebat.

M vorat Ecthlipsis: prisci breviare solebant.

M finita priscis temporibus corripiebantur; neque illud a sequente vocali, ut jam fit, excipiebatur; quod etiam nunc in compositis verbis cernitur.

ENNIUS. Insignita fere tum millia militum octo.
JUVEN. Quo te circumagas, quæ prima aut ultima ponas.

N in fine.

N longum est Græcis pariter, pariterque Latinis.
EN brevia, quod format INIS breve; Græca Secundæ,
Jungimus, et Quartum, si sit brevis ultima Recti.
Forsitan, *In*, *Forsan*, *Tamen*, *An*, *Viden*, adjice cuntis.

N littera finita, longa sunt; ut *Ren*, *splen*, *sin*, *Titan*, *Siren*, *Salamin*, *Actæon*, & cætera tertiæ declinationis, qui in ON exeunt.

VIRG. Sin absumpta salus, et te pater optime Teucrum.
LUCAN. Unde venit Titan, et nox ubi sidera condit.
OVID. Acteon ego sum dominum cognoscite vestrum.

Item accusativus Græcus nominum in AS, ES, E; ut *Ænean*, *Anchisen*, *Calliopen.*

Græcus itidem genitivis multitudinis cujusvis declinationis; ut *Cimmerion*, *epigrammaton.*

VIRG. Et sævum Ænean agnovit Turnus in armis.
TIB. Cimmerion etiam obscuras accessit ad oras.

EXCEPTIO I.

Corripe *An*, *in*, *forsan*, *forsitan*, *tamen*, *attamen*, *viden.*

Item EN syllaba finita, quæ faciunt genitivo INIS; ut *Nomen*, *pecten*, *flumen*, *Flamen.*

VIRG. Forsitan et Priami fuerunt quæ fata requiras.
STAT. Ipsa dedi, viden, ut jugulo consumpserit ensem.
OVID. Nomen Arionium Siculas impleverat urbus.

EXCEPTIO II.

Corripiuntur etiam Græca in ON, quæ ad secundam nostram declinationem spectant; ut *Pelion*, *Ilion*, *Erotion.*

OVID. Ilion et Tenedos Simoisque et Xanthus, et Ida.
MART. Pallida nec nigras horrescat Erotion umbras.

Omnes denique accusandi casus, qui a nominibus, ultimam brevem habentibus, proficiscuntur; ut *Scorpion*, *Thetia*, *Ityn*, *Majan*, *Æginan.*

LUCAN. Scorpion incendis cauda, chelasque peruris.
OVID. Tantaque vox animi est, Ityn huc accersite, dicit.
STAT. Namque ferunt raptum patriis Æginan ab undis.

R in fine.

R breve: sed longum est *Fur*, *Par*, cum pignore, *Lar*. *Nar*.
Cur, *Far*, cum Græcis, queis patrius ERIS; et *Æther*.
Aer, *Ver*, et *Iber*; mage *Cor* breve, *Celtiber* anceps,

R littera terminata corripiuntur; ut *Amilcar*, *semper*, *semivir*, *precor*, *Hector*, *turtur.*

SIL. At senior Siculis exultat Amilcar in armis.

VIRG. Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
LUCAN. Inseruisse manus, impure ac semivir, audes.
VIRG. Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.

EXCEPTIO.

Producito *Cur*, *far*, *fur*, *Iber*, *Lar*, *Nar*, *ver*; *par* cum compositis; ut *Compar*, *dispar*, et *impar*, et Græca, quæ faciunt genitivo ERIS longum, ut *Crater*, *stater*, Adde *aer* et *æther*.

HORAT. Cur ego si nequeo, ignoroque, poeta salutor?
LUCAN. Si tibi durus Iber, aut si tibi terga dedisset.
HORAT. Ludere par impar, equitare in arundine longa.
VIRG. Largior hic compos æther et lumine vestit.

APPENDIX.

Cor melius corripitur, *Celtiber*, anceps est.

OVID. Molle cor ad timidas sic habet ille manus.
MART. Ducit ad auriferas quod me Salo Celtiber oras.

As in fine.

As produc. Quartum Græcorum Tertiæ casum
Corripit: et Rectum, per ADIS si Patrius exit.

As syllaba finita longa sunt; ut *Æneas*, *Pallas*, *Pallantis*; *fas*, *nefas*.

VIRG. Æneas ignarus abest, ignarus et absit.
IDEM. Tela manusque sinit, hinc Pallas instat et urget.
IDEM. Fas et jura sinunt.

EXCEPTIO.

Corripe Græca, quorum genitivus exit in ADIS; ut *Arcas*, *Arcadis*; *Pallas*, *Palladis*.

Item accusativos tertiæ declinationis nominum Græcorum; ut *Troas*, *Delphinas*, *Heroas*.

OVID. Pallas anum simulat.
MART. Cum quibus Alcides et pius Arcas erat.
VIRG. Permistos Heroas, et ipse videbitur illis,

Es in fine.

Es dabitur longis; breviat sed tertia Rectum,
Cum Patrii brevis est crescens penultima: *Pes* hinc
Excipitur, *Paries, Aries, Abiesque, Ceresque,*
Corripe et *Es* de *Sum, Penes* et neutralia Græca,
His Quintum et Rectum Numeri dent Græca secundi.

Es syllaba terminata, longa sunt; ut *Anchises, locuples, quoties, octies, decies, jubes, audies.*

VIRG. Anchises alacris palmas utrasque tetendit.
MART. Orbus es et locuples et Bruto Consulo natus.
IDEM. Dicere te lassum quoties ego credo Quirino.
IDEM, Uno nasceris octies in anno.

EXCEPTIO I.

Corripe nomina tertiæ declinationis, quæ crescunt in obliquis penultima brevi; ut *Dives, eques, hospes, pedes.*

VIRG. Insula dives opum, Priami dum regna manebant.
IDEM. Obvius armato, ceu cum pedes iret in hostem.

Præter *Abies, aries, Ceres, paries, pes* cum compositis, ut *Cornipes, sonipes.*

VIRG. Populus in fluviis, abies in montibus altis.
IDEM. Flava Ceres alte nequidquam spectat Olympo.
OVID. Nec pes ire potest, Intra quoque viscera saxum.
VIRG. Stat sonipes, et frena ferox spumantia mandit.

EXCEPTIO II.

Es, a verbo *Sum*, etiam breve est, et ex eo composita; ut *Potes, ades.* Item *penes.* Græca etiam neutrius generis; ut *Cacoethes.* Præterea nominandi vocandique casus Græcorum; ut *Arcades, Troes, dæmones, Rhetores, Amazones.*

VIRG. Quisquis es, amissos huic jam obliviscere Graios.
MART. Tu potes et patria miles et esse decus.
HORAT. Quam penes arbitrium est et jus, et norma loquendi.
JUVEN. Scribendi cacoethes, et ægro in corde senescit
VIRG. Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.

Accusandi casus videntur sequi regulam Latinorum etsi Ovid. in Epist. Heroid. dixit.

Quis scit, an hac sævas insula tigres habet?

Charybdes, *hæreses*, *metamorphoses*, et similes nominativi producuntur, quia non sunt casus Græci, sed Latini.

Is vel Ys in fine.

Corripies IS et YS Plurales excipe casus.
Glis, *Sis*, *Vis* verbum ac nomen, *Nolis*que, *Velis*que.
Audis cum sociis; quorum et genitivus in INIS,
ENTISVE, aut ITIS longum, producito semper.

Is vel ys finita corripiuntur; ut *Apis*, *inquis*, *ais*, *dixeris*, *egeris*, *Thetis*, *Tethys*, *Tiphys*, *Itys*.

OVID. Non apis inde tulit collectos sedula flores.
STAT. Jam dudum tacito lustrat Thetis omnia visu.
VIRG. Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo.

RIS ultima futuri conjunctivi modi fere semper corripitur.

MART. Is mihi, Dives eris, si caussas egeris, inquit.

Reperitur tamen interdum hoc tempus longum, quod cæsuræ quidam tribuunt.

OVID. Da mihi te placidum, dederis in carmina vires.

EXCEPTIO I.

Excipe casus omnes multitudinis; ut *Viris*, *armis*, *musis*, *nobis*, *vobis*, *quis* pro *quibus*, *omnis*, *urbis*.

Item *Glis*, *vis*, nomen et verbum; *velis*, *sis*, cum compositis; ut *Quamvis*, *nolis*, *adsis*. *Possis* tamen a Juvenale corripitur Satyra v.

Et secundas personas numeri singularis modi indicativi, quartæ conjugationis; ut *Audis*, *nescis*, *sentis*.

VIRG. Præsentemque viris intentant omnia mortem.
IDEM. Queis ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis.
IDEM. Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
MART. Jam satis est, non vis, Afer, avere, vale.
IDEM. Nescis, heu nescis dominæ fastidia Romæ.

EXCEPTIO II.

Longæ præterea sunt, quorum genitivus exit in INIS, ENTIS, ITIS, penultima longa; *Salamis*, *Simois*, *Samnis*, *lis*.

OVID. Hac ibat Simois; hic est Sigeia tellus.
HORAT. Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.

Os in fine.

Vult os produci. *Compos* breviatur, et *Impos*,
*Os*que *ossis*, Græcorum et neutra: his cuncta Secundæ
Addicta Ausonidum junges, Patriosque Pelasgos.

Os finita, longa sunt: ut *Os*, *oris*; *erectos*, *Tros*, *Minos*, *Heros*, *Athos*, *Androgeos*, & cætera, quæ per ω mega scribuntur.

OVID. Os homini sublime dedit.
VIRG. Tros Anchisiade, facilis descensus Averni.
IDEM. Androgeos offert nobis, socia agmina credens.

EXCEPTIO.

Corripe *Os*, *ossis*; et *exos*, *compos* et *impos*. Et Græca neutra; ut *Chaos*, *melos*, *Argos*.

VIRG. Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte silentia late.

Item os finita, quæ ad secundam Latinorum declinationem transeunt; ut *Tyros*, *Arctos*, *Ilios*.

LUCAN. Et Tyros instabilis, pretiosaque murice Sidon.
MART. Nescia nec nostri nominis Arctos erat.

Omnes denique genitivi casus, a quibuscumque rectis proficiscantur; ut *Arcados*, *Pallados*, *Typhoeos*, *Tethyos*, *Tereos*.

OVID. Arcados hinc sedes; et inhospita tecta Tyranni.
IDEM. Alta jacet vasti super ora Typhoeos Ætna.
LUCAN. Tethyos unda vagæ lunaribus æstuat horis.

Us in fine.

Us breve ponatur: produc monosyllaba, quæque
Casibus increscunt longis, et nomina Quartæ,
(Excepto Recto et Quinto) et quibus exit in UNTIS
Patrius, et conflata a πους, contractaque Græca
In Recto ac Patrio, et venerandum nomen JESUS.

Us syllaba terminata, brevia sunt; ut *Littus*, *intus*, *sensibus*. Et nominandi vocandique casus singulares quartæ declinationis; ut *Domus*, *manus*.

VIRG. Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.
IDEM. Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles.

EXCEPTIO I.

Excipe monosyllaba, ut *Plus*, *rus*, *jus*.

LUC. Plus illa vobis acie, quam, creditis, actum est.

Et quæ crescunt in obliquis penultima longa; ut *Salus*, *tellus*, *palus*. Et nomina quartæ declinationis, præter casus ante dictos, ut *Aditus*, *vultus*.

OVID. Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.
IDEM. Juncta palus huic est densis obsessa salictis.
MART. Hos aditus urbem Martis habere decet.

Palus tamen ab Horatio in Arte Poetica semel corripitur:

Regis opus, *sterilisque diu palus*, *aptaque remis*.

EXCEPTIO II.

Denique Græca nomina, quorum genitivus exit in UNTIS; ut *Opus*, *Amathus*. Et quæ ex πους ποδος componuntur; *Tripus*, *Melampus*. Quæque ex oos contrahuntur; ut *Panthus* ex *Panthoos*. Item genitivus in us a femininis in o, ut *Manto*, *Mantus*; *Clio*, *Clius*, &c. quæ etiam ex oos contrahuntur.

VIRG. Est Amathus, est celsa mihi Paphus, atque Cythera.
IDEM. Panthus Otriades, arcis Phœbique sacerdos.
IDEM. Fatidica Mantus, et Tusci filius amnis.

Huc etiam JESUS, sacrosanctum Domini atque Redemptoris nostri nomen, spectat.

APPENDIX.

Us finita non contracta, ab Os syllaba profecta, corripiuntur; ut *Pamphagus*, *Oribasus*, *Polypus*, quorum ultimum Æoles per os scribunt; πολυπος, quare a Latinis per us effertur, ultima brevi.

OVID. Pamphagus, et Dorceus, et Oribasus, Arcades omnes.
HOR. Polypus, an gravis hirsutis cubat hircus in altis.

CAPUT V.

De Syllaba Communi.

Præceptum I.

Correpta Ausonii quædam monosyllaba Vates
Nonnumquam extendunt, Græcorum exempla secuti.

MOnosyllaba brevia interdum a Poetis more Græcorum producuntur.

VIRG. Liminaque, laurusque Dei, totusque moveri.
JUVEN. Et animam et mentem, cum qua Dii nocte loquantur.
SIL. Tot uno introitu capiuntur militis arces.
MART. Bis undena nocens, et bis duodena nocentes.

Præceptum II.

Syllaba cujusvis erit ultima carminis anceps.

Ultima syllaba versus communis est, siquidem brevis pro longa ponitur.

VIRG. Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor.
IDEM. Nate patris summi, qui tela Typhoea temnis.

Sextus enim pes Spondeus est, qui ex duabus longis constat.

Aut contra longa pro brevi.

MART. Nobis non licet esse tam disertis,
Qui musas colimus severiores.

Ultimus namque pes Choreus est, qui ex longa et brevi constat.

De reliquis syllabis communibus passim actum suis locis.

CAPUT VI.

De Pedibus.

QUoniam de syllabis tum brevibus, tum longis, tum communibus dictum est, superest, ut et de pedibus, qui ex ipsis syllabis, et de versu, qui ex pedibus constat, breviter dicamus.

Quid sit pes.

Pes est pars versus, certo syllabarum numero atque ordine definita.

Pedes duarum syllabarum.

Spondeus, constat ex duabis syllabis longis; ut *Possunt*, *Omnes*. – –

Pyrrhichius, ex duabis brevibus; ut *Bonus*, *Ruit*. *vv.*

Choreus, seu, ut alii vocant, Trochæus, ex longa et brevi; ut *Arma*, *vincor*. –v

Iambus, ex brevi et longa; ut *Viros*, *Rogas* v—

Pedes trium syllabarum.

Molossus, ex tribus longis; ut *Æneas*, *Contendunt*. – – –

Trochæus sive Tribrachys, ex tribus brevibus; ut *Facere*, *Tumidus*. vvv

Dactylus, ex longa et duabus brevibus; ut *Corpora*, *Traximus*. –vv

Anapæstus, ex duabus brevibus et longa; ut *Animos*, *Capiunt*. vv–

Bacchius, ex brevi et duabus longis; ut *Dolores*, *Parabant*. v– –

Antibacchius ex duabis longis et brevi ut *Audisse*, *Maturus*. – –v

Creticus seu Amphimacer, ex longa, brevi et longa; ut *Maximos*, *Audiant*. -v-

Amphibrachys ex brevi, longa et brevi; ut *Cadebat*, *Poema*. v–v

Pedes quatuor syllabarum ex superioribus compositi.

Dispondeus, ex duobus Spondeis; ut *Oratores*.

Proceleusmaticus, ex duobus Pyrrhichiis; ut *Abiete*.

Dichoreus ex duobus Choreis; ut *Dimicare*.

Diiambus, ex duobus Iambis; ut *Propinquitas*.

Choriambus, ex Choreo et Iambo; ut *Nobilitas*.

Antispæstus, ex Iambo et Choreo; ut *Recusare*.

Ionicus a majore, ex Spondeo et Pyrrhichio; ut *Calcaribus.*

Ionicus a minore, ex Pyrrhichio et Spondeo; ut *Diomedes.*

Pæones.

Pæones quatuor sunt; omnes ex tribus brevibus et una longa constant, hac lege, ut primus primam habeat longam, secundus, secundam, tertius tertiam, quartus quartam.

Pæon
1. Ex Choreo et Pyrrhichio; ut *Adspicite, temporibus.*
2. Ex Iambo et Pyrrhichio; ut *Potentia, Docebimus.*
3. Ex Pyrrhichio et Choreo; ut *Animatus, Moriamur.*
4. Ex Pyrrhichio et Iambo; ut *Calamitas, Obierant.*

Epitriti seu Hyppii totidem sunt, sed superioribus contrarii.

Epitritus
1. Ex Iambo et Spondeo; ut *Repentino, Repugnarunt.*
2. Ex Choreo et Spondeo; ut *Conditores, Comprobarunt.*
3. Ex Spondeo et Iambo; ut *Discordias, Clamaverat.*
4. Ex Spondeo et Choreo; ut *Fortunatus, Pugnabamus.*

Pedes quinque syllabarum.

Quinque syllabarum pedes inusitati sunt; præ-

ter Dochimum, oratoriæ compositioni maxime appositum: constat ex Iambo et Cretico, ut *Reipublicæ, Perhorrescerent.*

CAPUT VII.

De Versu.

VErsus est oratio, certo genere, numero, atque ordine pedum alligata. Ejus variæ sunt species.

Carmen Hexametrum sive Heroicum.

Hexametrum carmen sic dictum, quod sex pedum dimensionibus constet. Idem Heroicum vocitatum, quod eo imprimis genere Heroum res gestæ describantur.

Sex pedibus constant Heroum carmina, quintus
Dactylus esse solet, Spondeus in ordine sextus;
Quatuor at reliqui similes hinc inde locantur:
Et quintum admisit rerum gravitas Spondeum.

Versus hos subjectum Schema explicat.

1	2	3	4	5	6
–*vv*	–*vv*	–*vv*	–*vv*	–*vv*	— —
— —	— —	— —	— —	–*vv*	— —

VIRG. Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes.
TIBUL. Intonsi crines longa cervice fluebant.

APPENDIX I.

Quintus pes nonnumquam Spondeus est, unde versus Spondaicus appellatur: quo vel alicujus rei gravitas et amplitudo, tarditas, ingens mœror, animique angor, vel aliud declaratur. Venusta-

tem huic versui conciliat quarto loco positus dactylus.

VIRG. Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit.

Si sexto loco Dactylus ponatur, versus exin Dactylicus vocabitur; quo alicujus rei celeritas, impetus, aut insolens lætitia declaratur.

VIRG. At tuba terribilem sonitum procul excitat horrida.

Hujus versus ultimam a prima sequentis carminis syllaba (quod proinde a vocali fere semper inchoatur) absumi volunt.

APPENDIX II.

Jucundum cumprimis esse solet in Hexametro versu, quoties Dactyli et Spondei alternis ponuntur.

VIRG. Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.

Illud etiam haud indecorum ducitur, si adjectivum substantivo præponatur.

VIRG. Silvestrem tenui Musam meditaris avena.

APPENDIX III.

Dactylus aliquando resolvitur in Proceleusmaticum, cui par est numero temporum, et in ejus subinde locum succedit.

VIRG. Sectaque intexunt abiete costas.
IDEM. Hærent parietibus scalæ postesque sub ipsos.

Quidam tamen volunt hæc contrahi.

Anapæstus, qui inversione Dactylus est ejus aliquando vices obit.

VIRG. Fluviorum rex Eridanus.

Carmen Pentametrum.

Pentametro sunt quinque pedes: Spondeus et alter Dactylus, arbitrio Vatis, loca prima tenebunt.

Longa subit Cæsura : tenet loca proxima duplex
Dactylus, ac tandem metrum Cæsura coronat.

Pentametrum carmen, quod fere Hexametrum comitatur, quinque pedes habet: quorum duo primi Dactyli, vel Spondei pro cujusque arbitrio sunt, adjuncta syllaba longa, quæ cæsura vel semipes dicitur; duo cæteri perpetuo sunt Dactyli, quibus semipes itidem adjungitur.

Schema.

1	2	3	4	5	6
—*vv*	—*vv*	—	—*vv*	—*vv*	—
— —	— —	— —	—*vv*	—*vv*	—

Ovid. Sæpe tibi pater est, sæpe legendus avus.
Idem. Et multos illic Hectoras esse puta.

APPENDIX I.

Duriusculum est hoc carmen, si cæsura careat.

Hæc quoque nostra sententia mentis erat.

Item si in Penthemimeri sit elisio.

Catul. Troja virum et virtutum omnium acerba cinis.

Neutrum Hemistichium apte monosyllaba terminatur.

Catul. O Dii, reddite mi hoc pro pietate mea.

Si tamen altera monosyllaba antecedit, aut a præcedente dictione eliditur, in vitio non est.

Ovid. Præmia si studio consequar ista sat est.
Idem. Grande moræ pretium, tuta futura via est.

Versus Pentameter concinne clauditur dissyllaba.

Ovid. Non est conveniens luctibus ille color.

Et pentasyllaba.

Ovid. Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Trissyllaba quidam volunt duriuscule, nisi vel

monosyllaba præcedat, aut affectus, aut impetus aliquis exprimatur.

PROP. Mundus dimissis institor in tunicis.
IDEM. Et caput impositis pressit amor pedibus.

APPENDIX II.

Pentameter Hexametro additus, carmen Elegiacum constituit ab ελεγος, quod luctum; vel ελεγεια, quod mœstum poema significat; luctui quippe et dolori olim deserviebat, post vero rebus omnibus promiscue adhiberi cœptum.

Carmen Iambicum trimetrum et dimetrum.

Carmen Iambicum ita dictum a pede Iambo, qui in eo principem locum tenet. Familiare est Comœdis et Tragædis.

Sive fluant seno pede Iambica, sive quaterno,
In regione pari semper dominatur Iambus.
Dactylus et Spondeus amant in sedibus esse
Imparibus: gaudent Anapæstus, Iambus eisdem.
Absit ab extremo Tribrachys, sit cætera liber.

Senarius Iambicus sive trimeter, cum purus est et integer, locis tam paribus quam imparibus postulat Iambos. Horat. *Beatus ille qui procul negotiis.* Verum, dicente Horatio, *Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures*, primo, tertio, et quinto loco, præter Iambum, Spondeum, Dactylum et Anapæstum recepit. Primo etiam loco apud Senecam invenies Proceleusmaticum aliquoties. Omnibus item locis, præterquam sexto Tribrachyn admittit hoc modo.

1	2	3	4	5	6
v–	v—	v—	v—	v—	v—
vvv	vvv	vvv	vvv	vvv	
– –		— —		— —	
vv–		vv–		vv–	
–vv		–vv		–vv	
vvvv					

SENECA. Sacrate Divis, proximum Phœbo caput,
Responsa solve, fare, quem pœnæ petant.

Dimeter Iambicus quatuor pedes habet.

Omnibus locis eosdem recipit, quos trimeter, nisi quod quarto loco (uti trimeter sexto) tribrachyn respuat.

HORAT. Ut prisca gens mortalium.

Metiebantur olim veteres hoc genus carminum pedibus duplicatis. Hinc Trimetra et Dimetra appellantur, quod tribus aut duobus metris sive mensuris constent, cum tamen senos vel quaternos habeant pedes.

Observandum, in Iambico carmine, modo deesse syllabam, et nominari Catalecticum.

PRUDENT. Ades Pater supreme.

Modo deesse duas, et dici Brachycatalectum.

Musæ Jovis gnatæ.

Aliquando syllabam, vel unam (idque in fine vel in medio) vel duas etiam superesse, et vocari Hypercatalectum, vel Hypermetrum.

HORAT. Clari Gigantæo triumpho.
Musæ sorores Palladis lugent.

Scazon sive Choriambus.

Turba pedum trimetri placuit Scazontibus oris
Quatuor in primis, pes ordine quintus Iambus
Semper erit: Spondeus amat loca sexta supremus.

Scazon quinto loco semper Iambum habet, sexto vero Spondeum: cæteris omnibus cum senario Iambico conspirat.

MART. Extemporalis factus est meus Rhetor.
Calphurnium non scripsit, et salutavit.

Multus est in Scazonte Martialis, ut ad convitiandum in primis aptò.

Carmen Anacreontæum.

Carmen Anacreontæum, ab Anacreonte Poeta Lyrico, qui illud vel invenit, vel suavissime tractavit, nomen accepit.

Anacreontæi non parva est gratia versus;
Syllaba post ternos metrum cui claudit Iambos:
Nec Tribrachyn, Spondeum, Anapæstum prima recusat.

Hic versus a pede præcipuo Iambicus dimeter catalectus appellatur. Primus pes est Iambus, aut Spondeus; secundus et tertius Iambi, deinde superest una syllaba, quæ plerumque vocis præcedentis particula est. Sæpe et eleganter ipse Anacreon primo loco Anapæstum aut Tribrachyn posuit.

Schema.

1	2	3	4
v—			
vvv	v—	v—	—
vv–			
— —			

ANACR. Tauro ferire cornu,
Equo ungula nocere,
Lepori valere cursu,
Natura dat, leoni
Oris patentem hiatum.

Præcipuam gratiam huic carmini conciliat vocis alicujus cum emphasi repetitio, aut in principio, ut Anacr. Ode. 1.

Volo sonare Atridas,
Volo sonare Cadmum.

Aut in medio carmine, ut idem Ode 4.

Teneris superque myrtis,
Viridi superque toro,
Recubans bibam libenter.

Et hoc fere observavit Anacreon, ut quo primo pede Odam inchoaret, eumdem in cæteris versibus prima sede retineret; ut si primus sit Anapæstus, Spondeus, aut Iambus, omnes sequentes versus ab eodem pede initium sumant.

Venustas hujus carminis est, candida et inaffectata verborum simplicitas.

Versus Trochaicus:

Septennis pedibus prodire Trochaicus ambit.
Sedibus imparibus Tribrachyn vel pone Trochæum:
Liber uterque aliis; Tribrachyn solo exime fine.
Dactylon, et Trybrachyn, Proceleusmaticon, Spondeon,
Teque Anapæste, pari regione locarier optat:
Sæpe sed octavo pede debilis ire jubetur.

Trochaicum carmen (Hymnis, Comœdiis, Tragœdiisque aptum) septem constat pedibus; ubique Trochæum, seu Choreum habens, imparibus locis necessarium: cujus tamen loco recipit ubique Tribrachyn (excipe tantum regionem ultimam, quæ solo Trochæo contenta est) locis paribus Tribrachyn: Spondeum, Anapæstum, Dactylum, et raro Proceleusmaticum. Superest sæpe in hoc versu syllaba.

1	2	3	4	5	6	7
—v	—v	—v	—v	v—	—v	—v
vvv	vvv	vvv	vvv	vvv	vvv	
	— —		— —		— —	
	—vv		—vv		—vv	
	vv—		vv—		vv—	
	vvvv		vvvv		vvvv	

O beatos, qui monenti sponte parent Numini.
Dum polo stellæ micabunt, herba terras vestiet.

Genus hoc carminis non minus varium quam Iambicum. Frequens maxime tetrametrum, licet

nonnulli dimetrum quoque celebrent; estque fere illud catalectum.

Versus Trochaicus catalecticus mutatur in Iambicum acatalectum, si Trochaico una syllaba præfigatur.

Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis.
O Crux fidelis, inter omnes, &c.

Carmen Anapæsticum.

Carmen Anapæsticum ab Anapæsto pede dicitur, qui in eo principatum habet.

Quatuor ex pedibus Anapæstica carmina finge.
Qua regione velis, princeps Anapæstus habetur.
Spondeus permistus huic et Dactylus esto.
Dactylus exsul erit quarta sede, atque secunda.

Constat Anapæsticum carmen quatuor pedibus, qui fere sunt Dactyli, vel Spondei permistis Anapæstis; ita tamen, ut secundo et quarto loco absit Dactylus.

1	2	3	4
vv—	*vv*—	*vv*—	*vv*—
— —	— —	— —	— —
—*vv*		—*vv*	

SENECA. Lugeat æther, magnusque parens
Ætheris alti, tellusque ferax,
Et vaga ponti mobilis unda.

Notandum Anapæsticum versum nonnumquam omni Anapæsto destitutum esse.

SEN. Tertia misit buccina signum.

Et contra, omnes interdum esse Anapæstos.

SEN. Proprium hoc miseros sequitur vitium.

Versus iste omni prorsus cæsura caret: nam, quod in cæteris vitio, hic laudi vertitur.

Notandum, post secundum pedem subinde ter-

minari carmen Anapæsticum: hinc Tribrachyn vel Choreum nonnulli ipsi adscripserunt, et hiatum sæpius sine elisione reliquerunt.

Carmen Glyconium.

Carmen Glyconium, ab inventore Glycone sic dictum.

Omnia Spondeo præeunte Glyconia cons'ant
Carmina: tum duplicem sedem sibi Dactylus optat.

Glyconium constat Spondeo, et duobus dactylis.

1	2	3
— —	—*vv*	—*vv*

SEN. Tandem regia nobilis,
Antiqui genus Inachi,
Fratrum composuit minas.

Trochæus et Iambus quandoque primam sedem tenent.

HORAT. Ignis Iliacas domos.
MART. Pigebat dare strenuo.

Carmen hoc raro solitarium est: sæpe enim sese Asclepiadeis sociat; ita ut Asclepiadeum Glyconio nunc præponatur, nunc subjiciatur.

Asclepiadium, seu Choriambicum.

Dictum Asclepiadeum ab auctore Asclepiade, Choriambicum a pedis Choriambi dominio.

Metrum Asclepiadis Spondeus, Dactylus ornant,
Longaque cæsura: exin Dactylus ordine duplex.

Asclepiadeum carmen constat Spondeo, Dactylo, et syllaba longa, deinde duobus dactylis, hoc modo:

1	2	3	4	5
— —	—vv	— —	—vv	—vv

HORAT. Mæcenas, atavis edite Regibus.
Terrarum dominos evehit ad Deos.

Leges nonnumquam in prima sede Dactylum, in secunda Molossum, sed ne temere imiteris.

Horatius huic generi attribuit Deorum Heroumque laudes. Olympionicas, seu pugilum equitumque victorias. Postmodum terminos protulit et convivia, compotationes, et res hilaritatis plenas complexum est.

Aliud quoque est genus versus Choriambici, quod duobus primis locis dactylum vel spondeum admittit, tertio cæsuram longam, quarto dactylum, quinto spondeum.

1	2	3	4	5
—vv — —	—vv	—	—vv	— —

BOET. Heu quam præcipiti mersa profundo,
Mens hebet; et propria luce relicta,
Tendit in externas ire tenebras!

Pherecratium.

Quando Pherecratio vis ludere carmine, binos
Inter Spondeos medius tibi Dactylus esto.

Pherecratium carmen tribus pedibus constat: primo loco Spondeo, secundo Dactylo, tertio Spondeo; hoc modo.

1	2	3
— — —v	—vv	— —

HORAT. Grato Pyrrha sub antro.

Sæpius primo loco reperitur Trochæus loco Spondei.

Phaleucium seu Hendecasyllabum.

Carmen Phaleucium, quod et Hendecasyllabum ab undecim, quibus constat syllabis, ab inventore Phaleuco sic dictum.

Metra pedes moveant quinos numerosa Phaleuci;
Spondeum subeat pes Dactylus; inde sequatur
Ordine perpetuo triplicis mensura Chorei.

Carmen Phaleucium quinque pedibus constat, spondeo, dactylo, deinde tribus choreis.

1	2	3	4	5
— —	— *vv*	— *v*	— *v*	— *vv*
v —				
— *v*				

MART. Commendo tibi, Quintiane, nostros,
Nostros dicere si tamen libellos
Possum, quos recitat tuus Poeta.

Recipit hoc carmen subinde primo loco Iambum, et Choreum.

CATUL. Arido modo pumice expolitum.
Meas esse aliquid putare nugas.

Sapphicum carmen.

Carmen Sapphicum a Sappho puella nomen habet. Dictum quoque Hendecasyllabum.

Sapphica plectra movens, tribuat loca prima Choreo:
Spondeo cedant loca proxima: tertius esto
Dactylus: hunc subeat duplex in fine Choreus.
Singula post ternos subdantur Adonia versus.

Versus Sapphicus quinque pedes hoc ordine admittit: choreum, spondeum, dactylum, deinde duos choreos. Tertio cuique carmine fere nectitur Adonius, qui dactylo et spondeo constat.

1	2	3	4	5
— *v*	— —	— *vv*	— *v*	— *v*

HORAT. Integer vitæ, scelerisque purus,
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra.

Catullus secundo loco alterum Trochæum interdum posuit; qui cæsuram quoque non raro omittit: quæ versum hunc venustat. Seneca in primam regionem recipit Spondeum, Dactylum, et Anapæstum, in secundam etiam Dactylum et Anapæstum, sed ne imiteris.

De Carmine Horatiano.

Est et aliud carminis genus, quo tantopere delectatus est Horatius, ut invenisse credatur.

Alcaicum dactylicum acatalectum.

Alcaici loca prima tenent Spondeus, Iambus,
Vatis ad arbitrium; sed Iambus sede secunda,
Dein cæsura; duo hinc geminus loca Dactylus ambit.

Alcaicus primo loco Iambum vel Spondeum recipit; in secundo Iambum, tertio cæsuram longam, quarto et quinto Dactylum.

1	2	3	4	5
— — v—	v—	—	—vv	—vv

In quaque strophe duo primi iisdem pedibus et syllabis constant.

HORAT. Insigne mœstis præsidium reis,
Et consulenti, Pollio, curiæ.

Horatius in hoc carmine, *Hinc omne principium, huc refer exitum*, longam cæsuræ syllabam in duas breves resolvit.

Proximus est dimeter perfectus Iambicus. Ora
In prima ac terna resident Spondeus, Iambus,
Ad libitum; sed Iambus inest in parte secunda.

Solus, et in quarta; dabit unica syllaba finem.

Tertius versus Iambicus Archilochius, qui primo et tertio loco Iambum postulat, vel Spondeum, secundo et quarto solum admittit Iambum, ac denique syllabam; in hunc modum:

1	2	3	4	5
v—	v—	v—	v—	—
— —		— —		

HORAT. Cui laurus æternos honores.

Dactylicus tandem Alcaicus subit ordine quartus,
Quatuor ex pedibus constans; loca Dactylus ornat
Duplex prima duo; sed proxima bina Choreus.

Quartus versus est Dactylicus Alcaicus, primo et secundo loco Dactylum recipiens, tertio et quarto Choreum.

1	2	3	4
—vv	—vv	—v	—v
— —		— —	

HORAT. Dalmatico peperit triumpho.

Ex his quatuor constat versus Horatianus, qui est Ode tricolos, hoc est, constans tribus generibus carminum; et tetrastrophos, hoc est, in qua post quatuor versus fit conversio ad primum.

HORAT. Damnosa quid non imminuit dies!
Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores; mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Est præterea aliud genus Horatio usitatum, ubi nempe tres versus priores sunt Asclepiadei, quartus Glyconius. Hujusmodi Ode vocatur dicolos tetrastrophos.

HORAT. Scriberis Vario fortis, et hostium
Victor, Mæonii carminis alite,
Quam rem cumque ferox navibus aut equis
Miles, te duce, gesserit.

Est et aliud genus satis apud eumdem frequens, ubi duo priores versus Asclepiadei, tertius Phcrecratius, quartus Glyconius.

HORAT. O navis referent in mare te novi
Fluctus, o quid agis? Fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus

CAPUT VIII.

De Figuris, quæ spectantur in carminum Dimensione.

Synæresis.

Syllaba de gemina facta una, Synæresis esto.

SYnæresis, quæ et Episynalœphe appellatur, fit cum duæ vocales in unum contrahuntur, ut *Alvearia*, *eadem*, *alveo*, *eodem*, *eosdem*, *aureis*, *ærei*, *denariis*.

VIRG. Seu lento fuerint alvearia vimine texta.
IDEM. Uno eodemque tulit partu.
MART. Denariis tribus invitas, et mane togatum.
VIRG. Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei.
OVID. Degeneras, scelus est pietas in conjuge Teseo.

In hujusmodi contractione, delectu et auctoritate opus est; at horum, *Cui*, *huic*, *Dii*, *Diis*, *iis*, *iidem*, *iisdem*, omnibus uti licet.

Item adverbium *Deinde*, *dein*, *deinceps*, *dehinc:* et verbi *Deest*, *deerat*, *deerant*, *deerit*, *deerunt*, *deesse:* et eorum, quæ ex *Semi* componuntur; ut *Semianimis*, *semihomo*.

OVID. Juncta palus huic est densis obsessa salictis.
LUC. Iidem, cum fortes animos præcepta subiissent.
STAT. Dehinc sociare choros, castisque accedere sacris.
MART. Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.
VIRG. Semihominis Caci facies quam dira tegebat.

Huc etiam spectant *Anteambulo*, *antehac*, *anteit*, et siqua præterea sunt.

MART. Sum comes ipse tuus, tumidique ante ambulo Regis.
LUC. Plurimaque humanis ante hac incognita mensis.
VIRG. Qui candore nives anteirent cursibus auras.

Diæresis sive Dialysis.

Distrahit in geminas resoluta Diæresis unam.

Diæresis est, cum syllaba una in duas dividitur; ut *Aurai* trissyllabum, pro *Auræ* dissyllabo; *siluæ*, *evoluam*, *evoluisse*, *dissoluo*, *persoluendus*, *suavis*.

VIRG. Æthereum sensum, atque aurai simplices ignem.
HORAT. Nivesque deducunt Jovem; Nunc mare, nunc siluæ.
OVID. Debuerant fusos evoluisse suos.

Synalœphe.

Diphthongum aut vocalem haurit Synalœpha priorem.

Synalœphe est, cum vocalis aut diphthongus præcedentis dictionis a sequenti excipitur et quodammodo absorbetur.

VIRG. Conticuere omnes, intentique ora tenebant.
IDEM. Dardanidæ e muris; spes addita suscitat iras.

EXCEPTIO.

O & Heu, sequente vocali aut diphthongo integra manent.

VIRG. O pater, o hominum Divumque æterna potestas!
STAT. Heu! ubi siderei vultus.

APPENDIX I.

Interdum nec vocalis, nec diphthongus a sequente vocali absumitur.

VIRG. Posthabita coluisse Samo, hic illius arma.

Id quod multo rarius accidit, si vocalis brevis sit.

VIRG. Et vera incessu patuit Dea: ille ubi matrem.

Aliquando vocalis longa et diphthongus breves fiunt.

VIRG. Credimus! an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt:
IDEM. Insula Ionio in magno, quas dira Celæno.

APPENDIX II.

Synalœphe non solum in eodem carmine, sed et in diversis locum habet.

VIRG. Et spumas miscent argenti, vivaque sulphura,
Idæasque pices.
IDEM. ——— Ignari hominumque locorumque
Erramus.

In his atque similibus locis, ultima vocalis præcedentis versus excipitur atque absorbetur a prima sequentis.

Ecthlipsis.

M vorat Ecthlipsis, quoties vocalibus anteit.

Ecthlipsis est, cum M littera simul cum vocali eliditur, propter sequentem vocalem.

VIRG. Italiam, Italiam primus conclamat Achates.
PERS. O curas hominum! o quantum est in rebus inane!

APPENDIX I.

Prisci M litteram cum vocali correpta servabant.

ENNIUS. Insignita fere tum millia militum octo.

Ecthlipsis etiam in diversis carminibus locum habet.

VIRG. Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, murosque subibant.

APPENDIX II.

Prisci Poetæ s litteram passim elidebant.

ENNIUS. Vicimus, o socii, et magnam pugnavimus pugnam.

Systole.

Systola præcipitat positu vel origine longam.

Systole est, cum syllaba natura longa corripitur.

VIRG. Obstupui, steteruntque comæ.
SIL. Terruerunt pavidos accensa Ceraunia nautas.

Aut positione longa, sed altera consonante extrita; ut *Obicis*, pro *objicis*, *abici*, pro *abjici*; *reicit*, pro *rejicit*.

LUC. Cur obicis Magno tumulum, manesque vagantes?
OVID. Turpe putas abici, quod sim miserandus amicis.
STAT. Tela manu, reicitque canes in vulnus hiantes,

Æctasis, sive Diastole.

Ectasis extenditque brevem, duplicatque elementum.

Ectasis est, cum aut syllaba natura brevis simpliciter producitur; quod nonnumquam faciunt Poetæ metri necessitate compulsi; præsertim in propriis nominibus, quæ alioqui in carmen illigari non possent.

VIRG. Atque hic Priamiden laniatum corpore toto.
PROP. Et domus intactæ te tremit Arabiæ.
VIRG. Italiam, fato profugus, Lavinaque venit
Littora.

Aut cum eadem consonans geminatur; ut *Relligio*, *relliquiæ*, *reppetit*, *rettulit*, *reppulit*. Horatius *redducere*, pro *reducere*, dixit.

VIRG. Relligione patrum multos servata per annos.
IDEM. Troas, relliquias Danaum, atque immitis Achillei.
IDEM. Vir bonus et sapiens, qualem vix repperit unum.
HORAT. Rettulit acceptos, regale numisma Philippos.
LUC. Reppulit a Libycis immensum Syrtibus æquor.
HORAT. Dii tibi dent capta classem redducere Troja.

DE METAPLASMO ET FIGURIS QUIBUSDAM POETARUM.

PRoprium itidem Poetarum est, verbis quibus Oratores utuntur, aliquid interdum addere, vel detrahere: nonnunquam litteras alias aliis

permutare; aliquando e proprio loco in alienum transferre; quod quidem cum in soluta oratione vitium sit, Barbarimusque nominetur; in carmine tamen non Barbarismus, sed Metaplasmus appellatur: datur enim venia Poetis, quia plerumque coguntur metro servire. Metaplasmus vero dicitur, quod vetus verborum forma, vel necessitate metri, vel ornandi poematis causa, a Poetis in novam figuram faciemque sermonis mutetur.

Prothesis et Aphæresis.

Principium apponit Prothesis, quod Aphæresis aufert.

Littera vel syllaba, principio dictionis addita, vocatur Prothesis, ut *Gnatus*, pro *Natus*.

Littera vel syllaba, principio dictionis subtracta, Aphæresis appellatur; ut *Ruo*, pro *eruo*, *temno*, pro *contemno*; *peto*, pro *expeto*.

VIRG. ——— dabit ille ruinas
Arboribus, stragemque satis; ruet omnia late.

Epenthesis et Syncope.

Syncope de medio tollit, quod Epenthesis addit.

Epenthesis est, cum in medio dictionis littera aut syllaba interjicitur, ut *Relliquias*, pro *reliquias*; *Mavors*, pro *Mars*; *navita* pro *nauta*; *induperator*, pro *imperator*; *cinctutus* pro *cinctus*.

VIRG. Troas relliquias Danaum, atque immitis Achillei.
IDEM. Fecerat et viridi fœtam Mavortis in antro.
OVID. Quid tibi cum gladio? dubiam rege, navita, puppim.

Syncope litteram vel syllabam a medio dictionis subtrahit, ut *Gubernaclo*, pro *gubernaculo*; *periclis*, pro *periculis*; *vixit*, pro *vixisset*; *exstinxem*, pro *exstinxissem*; *Divum*, pro *Divo*

VIRG. Cumque gubernaclo liquidas projecit in undas.
IDEM. Deseris: heu tantis nequidquam erepte periclis.
IDEM. Vixet cui vitam Deus, aut sua dextra dedisset.
IDEM. ——— natumque patremque
Cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem.

Paragoge, et Apocope.

Apocope demit finem, quem dat Paragoge.

Paragoge dicitur, cum extremæ syllabæ aliquid adjungitur; ut *Deludier*, pro *deludi; admittier*, pro *admitti.*

TERENT. Ubivis facilius passus sim, quam in hac re me deludier.
VIRG. ——— Alacres admittier orant.

Apocope fini dictionis aliquid detrahit; ut *Tuguri*, pro *tugurii*, *oti*, pro *otii*

VIRG. Pauperis et tuguri congestum cespite culmen.
IDEM. Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.

Tmesis.

Per Tmesim inseritur medio vox altera vocis;
Ut *Sythiæ regio, septem subjecta trioni.*

Tmesis verbum dividit alio interposito; ut *Inque ligatus*, pro *illigatusque; qui te cumque*, pro *quicumque te*, *inque salutatus*, pro *insalutatusque.*

VIRG. Ille pedem referens, et inutilis, inque ligatus.
IDEM. Inque salutatam linquo.
IDEM. Qui te cumque manent isto certamine casus.

Antithesis et Metathesis.

Littera virtute Antithesis mutatur; ut *Olli*:
Sed cum transfertur, ceu *Thymbre*, Metathesis esto.

Antithesis est litteræ commutatio; ut *Olli*, pro *illi.*

VIRG. Olli cæruleus supra caput adstitit imber.

Metathesis est litterarum ordo immutatus; ut *Thymbre*, pro *Thymber*.

VIRG. Nam tibi, Thymbre, caput Evandrius abstulit ensis.

Nisi quis putet nominandi casu tum *Thymber*, tum *Thymbrus* dici, ut *Evander* et *Evandrus*.

De Cæsura.

Si pedes, maxime versus Heroici, e singulis versus constent, ineptum et insulsum fit carmen; quod tamen in Anapæsticis decorum est.

Aurea scribis carmina, Juli maxime Vatum.

Contra, si verba concidantur, ita ut mutuo amplexu pedes alii ex aliis pendeant, pulcherrimus efficitur versus.

VIRG. Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

IDEM. Non ignara mali miseris succurrere disco.

Syllaba, quæ ex dictione cæditur, ac post quemvis pedem relinquitur, vulgo Cæsura dicitur; cujus tanta est vis, ut ejus beneficio brevis syllaba producatur. Est enim quoddam in ipsa divisione verborum latens tempus; nam dum moramur, atque ad alias transimus, intervallum unum spatiumque lucramur.

Cæsuræ quatuor sunt species.

Triemimeris, cum post primum pedem superest syllaba quæ dictionem finiat.

VIRG. Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.

Penthemimeris, cum post pedes duos.

IDEM. Emicat Euryalus, et munere victor amici.

Hephthemimeris, cum post pedes tres.

IDEM. Una eademque via sanguis animusque sequuntur.

Enneemimeris, cum post quatuor.

L. of C.

IDEM. Graius homo, infectos linquens profugus Hymenæos.

Vides, ut syllabæ, natura breves, post primum, secundum, tertium et quartum pedem producantur? Id beneficium cæsuræ acceptum referunt.

De verbis Poeticis.

Verborum licentia liberiores multo sunt Poetæ quam Oratores: quibus assidue accurateque legendis, non solum verba, sed etiam cætera ornamenta iis, qui Poeticæ studio tenentur, diligentissime sunt observanda.

CAPUT IX.

De Patronymicis.

PRopria item Poetarum sunt, quæ a Grammaticis Patronymica vocantur, quod a patrum majorumque nominibus facta, filium aut filiam; nepotem aut neptem, aut ex posteris aliquem significent. Hæc fere a Græcis nominibus fiunt, atque in Des, vel As, vel Is, vel Ne, exeunt: quorum prima masculina sunt, et primæ declinationis; ut *Pelides*, Achilles Pelei filius.

OVID. Pelides utinam vitasset Apollinis arcus.

Æacides, Achilles Æaci nepos.

VIRG. Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector.

Æacides, Pyrrhus Epirotarum Rex ab Æaco originem trahens.

VIRG. Ipsumque Æaciden, genus armipotentis Achillei.

Cætera feminina sunt, et declinationis tertiæ:

exceptis ultimis, quæ secundæ sunt Græcorum, ut *Thaumantias*, Iris Thaumantis filia.

VIRG. Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est.

Æolis, Alcyone Æoli filia.

OVID. Æolis interea, tantorum ignara malorum.

Nerine, *Nerines*, Galatea filia Nerei.

VIRG. Nerine Galatea, &c.

APPENDIX I.

Patronymica, non solum a patribus, avis, proavis, abavis, atavis, tritavis, aliisque majoribus deducuntur, sed etiam a matribus; ut *Iliades*, Romulus, ab Ilia; *Philyrides*, Chiron Centaurus, a Philyra; *Latois*, *idos* vel *idis*, Diana, a Λητω, hoc est, Latona.

OVID. Invadunt portasque petunt, quas obice firmo
Clauserat Iliades.
IDEM. Philyrides puerum cithara perfecit Achillem.
IDEM. Præteritas cessasse ferunt Latoidos iras.

Item a fratribus; ut *Phaethontias*, soror *Phaethontis*.

VIRG. Tum Phaethontiadas musco circumdat amaræ
Corticis.

A regibus præterea, et conditoribus; ut *Romulidæ*, Romani; a Romulo; *Dardanidæ*, Trojani, a Dardano; *Cecropidæ*, Athenienses, a Cecrope; iidem *Thesidæ*, a Theseo.

PERSIUS. ——— Inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.
VIRG. Dardanidæ magni, genus alto a sanguine Divum.
OVID. Cecropidas duxit.
VIRG. Præmiaque, ingentes pagos et compita circum
Thesidæ posuere.

APPENDIX II.

Multa a regionibus, urbibus, montibus, fontibus,

fluviis, aliisque rebus fiunt, quæ formam quidem patronymicam habent, re autem gentilia sunt, aut pro possessivis adjectivisque nominibus ponuntur; ut *Asis*, *Lybistis*, *Sithonis*, *Thessalis*, *Sidonis*, *Ilias*, *Troas*, *Erymanthis*, *Mænalis*, *Pieris*, *Tritonis*, *Pegasis*, *Phasis*.

OVID. Ægeas metiris aquas, et in Aside terræ
Mœnia constituis.
VIRG. Horridus in jaculis, et pelle Libystidis ursæ.
OVID. Nec vehis Actæas Sithonis unda rates.
VIRG. Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis.
OVID. Troades exclamant: obmutuit ille dolore.
IDEM. Cumque truci Borea Mænalis ursa videt.
IDEM. Pegasis Oenone, Phrygiis celeberrima silvis.
IDEM. Credulus immerita Phasida fovit ope.

PATRONYMICA MASCULINA

QUO PACTO FORMENTUR.

Præceptum I.

NOmina A finita, assumunt DES syllabam; ut *Ilia*, *Iliades*; AS terminata, assumunt DE syllabam ante S; ut *Æneas*, *Æneades*; *Pherætias*, *Pherætiades*.

OVID. Cumque Pherætiade; Hyantheo Iolao.

EXCEPTIO.

A finita aliquando ipsum A mutant in I, ut *Philyra*, *Philyrides*; As terminata, interdum I ante A assumunt; ut *Amyntas*, *Amyntiades*, Philippus Amyntæ filius.

OVID. Aut ut Amyntiaden.

Æneides, Iulus Æneæ filius, fit a Græco Αινειας; *Æneiades* sublato A *Æneides*.

VIRG. Sit satis, Æneides, telis impune Numanum
Oppetiisse tuis.

Præceptum II.

Es finita, mutant ES in ADES; ut *Hippotes*, *Hippotades*, Æolus Hippotæ filius.

OVID. Clauserat Hippotades æterno carcere ventos.

EXCEPTIO I.

Hæc sæpe I ante A admittunt; ut *Anchises*, *Anchisiades*, *Laertes*, *Laertiades*.

VIRG. Æneas Anchisiades, et fidus Achates.
OVID. Saxa moves gemitu, Laertiadenque precaris.

Præceptum III.

Nomina secundæ declinationis in us finita, in genitivo assumunt DES syllabam penultima brevi; ut *Æacus*, *Æaci*, *Æacides*; sic *Priamides*, *Æolides*, *Tantalides*, a *Priamo*, *Æolo*, *Tantalo*.

VIRG. Misenum Æoliden, quo non præstantior alter.
OVID. Priamidemque Helenum, rapta cum Pallade captum.
IDEM. Tantalides tu sis, tu Tereique puer.

EXCEPTIO.

Nonnulla penultimam habent longam; ut *Belides*, *Lycurgides*.

VIRG. Belidæ nomen Palamedis.
OVID. Quique Lycurgiden laceravit ab arbore natum.

EXCEPTIO II.

Interdum ante Des syllabam A litteram recipiunt; ut *Battus*, *Battiades*. Quæ in IUS exeunt, posterius I genitivi mutant in A; ut *Thestius*, *Thestii*, *Thestiades*.

OVID Nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin.
IDEM. Thestiadæ clamant.

Præceptum IV.

Genitivus nominum in EUS assumit DES syllabam, penultima longa; E enim et I vocales in I longum vel EI diphthongum contrahuntur, vel in ει more Græcorum, ut a multis scribitur; ut *Atreus*, *Atrei*, *Atrides*, seu *Atreides*; sic *Pelides*, *Alcides*, *Achilleides*, et sexcenta alia.

OVID. Convocat Atrides socios terrore paventes.
VIRG. Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adsis.
OVID. Pyrrhus Achilleides animosus imagine patris.

APPENDIX.

Hæc rarius A ante DES syllabam habent.

VIRG. Panthus Otriades, arcis Phœbique sacerdos.

Præceptum V.

Si nomina sint tertiæ declinationis, patronymica fiunt a dativo, addita DES syllaba; ut *Agenor*, *Agenori*, *Agenorides*, Cadmus filius Agenoris, *Æsonides*, Iason filius Æsonis.

OVID. Donec Agenorides conjectum in guttura ferrum.
VALER. FLACC. Advolat Æsonides, mortemque cadentis acervat.

EXCEPTIO.

Nomina AS finita, quorum genitivus exit in *antis*, A litteram ante DES syllabam petunt, ut *Abas*, *Abantis*, *Abanti*, *Abantiades*; sic *Atlantiades*, *Pæantiades*, *Athamantiades*, *Dryantiades*, et alia id genus.

OVID. Victor Abantiades, &c.
IDEM. Venit Atlantiades positis caducifer alis.

Eodem fere modo formantur quæ a nominibus in *on* fiunt; *Telamon*, *Telamoni*, *Telamoniades*, *Amphitryoniades*, *Laomedontiades*.

A *Scipione* tamen, non *Scipioniades*, sed *Scipiades*, imminuto verbo nascitur.

Ovid. Nec Telamoniades etiam nunc discere quidquam
Audet.
Virg. Laomedontiaden Priamum Salamina petentem.
Scipiadas duros bello, ut te maxime Cæsar.
Sil. Heu ubi nunc Gracchi; aut ubi sunt nunc fulmina gentis
Scipiadæ.

PATRONYMICA FEMININA

UNDE FORMENTUR.

Præceptum I.

Patronymica feminina, quæ in as et is exeunt, fiunt a masculinis patronymicis, de syllaba sublata; ut *Thestiades*, *Thestias*; *Æolides*, *Æolis*; *Dardanides*, *Dardanis*, *Cecropides*, *Cecropis*, *Belides*, *Belis*. Multa præterea sunt, quæ passim apud Poetas leguntur.

Ovid. Talibus Æolides dictis lachrymisque movetur.
Idem. Assidue repetunt, quas perdunt Belides undas.

APPENDIX I.

Quædam tum in as, tum in is exeunt; ut *Æetias*, *Æetis*, *Atlantias*, *Atlantis*.

Valer. Flacc. ——— Nec me Æetis quin audiat opto.
Virg. Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.
Sil. Vixque Atlantiadum rubefecerat ora sororum.

APPENDIX II.

Feminina, quæ a masculinis fiunt penultima longa, in eis desinunt, soluta diphthongo, atque e brevi in longum verso, ut *Æneides*, *Æneis*.

Ovid. Et tamen ille tua felix Æneidos auctor.

EXCEPTIO.

Nonnumquam penultima manet brevis.

Ovid. Res quoque tanta fuit, quanta subsistere summo
Æneidos Vati grande fuisset opus.

Præceptum II.

Ne finita a genitivo fiunt, addita ne syllaba, penultima longa; ut *Neptunus*, *Neptuni*, *Neptunine;* sic *Adrastine*, *Nerine*, a genitivis *Adrasti*, *Nerei*, e et i mutatis in e longum. Quod si primigenium, i ante os habeat, mutabitur os in *one* penultima producta, *Acrisios* A'κρισιωνη *Acrisione*, Danae Acrisii filia.

Catul. Tene Thetis genuit, pulcherrima Neptunine?

APPENDIX.

A muliebri *Acrisione* finxit Ovidius virile *Acrisioniades.*

Ovid. Vertit in hunc harpen madefactam cæde Medusæ
Acrisioniades.

FINIS,

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 041 584 A

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 041 584 A